

1. Susanna. 2 Constantyn 3. Christiaan. 4. Lodewyk. 5. Philips.

Quò genus et formam CONSTANTER opesque et amoris
Intempestivi ſpernat ubique faces,
Hugenium diâ privatum conjuge Patrem
Hoc armaverunt Fata ſatellitio.


C. HUGENIUS.

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP

ANNOTATIO

IN

VITAM CONSTANTINI HUGENII.



HARLEMI
APUD VIDUAM ADRIANI LOOSJES P. F.
MDCCCXXI.

Gedrukt ter Boekdrukkerij van de Wed. G: Post en Zoon.

Uitgegeven by
de Wed. A Loosjes Pz
J. Loosjes

PRÆFATIO.

Constantinus Hugenius in omnibus officiis rebusque, et publice et private, summa erat religione et diligentia, nec sane minore, quæ ad ipsum et genus suum propius spectarent. Et cui mirum videtur, tantam illum manu sua scriptorum libellorum reliquisse multitudinem, quantam fere neminem? Ego quum in eo eram, ut ad vitam Hugenii illustrandam accederem, non vana spe lætabar, fore ut horum mihi omnium et singulorum daretur copia. Sic enim fieri posse arbitrabar, ut et carmen, a me editum, jucundius legeretur, nec pauca rerum Belgicarum, adhuc ignorata, expedirentur. Hac cogitatione ipse primum, deinde alii per me sunt lactati. Vellem tacere et in sinu gaudere potuissem. Nunc mota hominum exspectatio ad nihilum rediit. Ab edita Hagani vita eunt menses, annus, duo, plures, dum ego quotidie ingentem chartarum molem spero. Frustra.

Inclusam Danaën turris ahenea

satis muniit ab omnibus harum delitiarum amantibus. Et si quis iter eo aliis aperire potuisset, is sane fuisset Schonckius, homo variæ et elegantis doctrinæ, qui gentem Hugenianam cognatione etiam attingit. Quem ille aditum non tentavit, quem lapidem non movit? Nactus est tantum pauca thesauri fragmenta, quibus suo loco usi sumus. Ego quid facerem? Fidem dederam me annotationem esse scripturum in vitam Hugenii. Hanc malui servare partem, quam totam fallere. Ne quis ergo inique

ferat, si sæpius extra oleas vagatus sim. Reperiuntur multa, quæ alibi quærentur. Et si quis me roget: „ Ecquis nunc illis hic locus est? nihil habeo quod respondeam, nisi. „ Non scio plane. Sed feci locum. Utut est, ego per conscientiam meam lectoris iram deprecor, librarius hanc paululum mitigari posse putavit, addita in fronte libri venusta sane pictura, quam debet humanissimo Schonckio. Hugenius se diversis temporibus pingi fecit. Nulla autem pictura sine carmine. Servantur ea carmina in Momentis, p. 68. 159. 196. 334. et p. 156. tria in effigiem suam quinque liberorum vultibus cinctam. Horum trium elegantius imagini subscribendum curavimus. Eandem his versibus ornavit C. Barlæus T. II. Carm. p. 524.

Pingeris, Hugeni, propriis permixtus Achivis,
Parsque tui totum cingit amica patrem.
Auctor honoratæ prolis circumspicis omnes,
Dissimilesque tibi persimilesque vides.
Splendida concordes exornant atria fratres
Quatuor, et vultu Tyndaris una suo.
Hæc thalami fortuna tui, et spes tota nepotum est.
Hæc dominum cingunt sidera quinque Iovem.
Assideat matrona Iovi, perfecta tabella est.
Mater ubi, soboles prostat et ipse pater.
Non aliam, Hugeni, matrem, nec quære novercam,
Ne læva adspiciat, quos negat esse suos.

Harlemi Prid. kal. Nov. MDCCCXX.

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP

ANNOTATIO IN SERMONES

CONSTANTINI HUGENII.

Præf. Scripsit Plinius, Virgilium hortorum dotes fugisse.] Plin. Nat. Hist. l. XIV. c. I. „ *Quamquam videmus Virgilium, præcellentissimum vatem, ea de causa hortorum dotes fugisse; et e tantis, quæ retulit, flores modo rerum decerpsisse.*" Virgilii quidem IV. Georg. 148. hæc sunt verba: „ *Verum hæc ipse equidem, spatiis exclusus iniquis — Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.*" Opus á Virgilio relictum suscepit Columella L. X. de Re Rustica: „ *Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo — Atque ea, quæ quondam spatiis exclusus iniquis — Virgilius nobis post se memoranda reliquit.*" — Ex recentioribus laudanda in hoc genere est industria Jacobi Vanierli, qui in Libro IX. prædii Rustici, olera cecinit. Vanierio judice „ *Tulit hortorum primos Rapinus honores.*" Et quamquam illud Rapini de hortis carmen suis nævis non careat, severius tamen de eo mihi pronuntiasse videtur Heynius ad Virg. IV. Georg. 116. appellans *opus insipidum.*

'Οὐδὲ Σολομῶν ὡς ἓν τούτων.] Ex Matth. VI. 29. Hinc in Belgico carmine Hofwyck p. 321. *Wat magh de sotte konst haer selven onderwinden — Haer uytterste geweld is qualick werck van blinden — By t'minste Berckenblad, den minsten Elsentack — Myn muertapyten hier, myn sold'ringh en myn dack.*

Scribo Hagæ currente tertio post octuagesimum ætatis anno.] Erat Hugenius etiam in extrema senectute incredibilis diligentiæ.

Cicero in Senect. c. 7. multos laudavit ex Græcis, in quibus ſtudiorum agitatio vitæ fuit æqualis. Exemplum non minus illuſtre dedit Hugenius. Jam aliquid est anno ætatis tertio et octogeſimo ſermonem ſcribere, qualem legiſtis, ſed majus est nonagenarium hominem rudi et indigeſtæ librorum moli ſpeciem et formam bibliothecæ induere, indutamque univerſo ſingularum partium indice ornare. Fecit Hugenius. Hæc est operis inſcriptio. „ *Supellex Libraria, ſub ſereniſſimis ex ſtirpe Naſſavia Arauſii Principibus, Gulielmo I, Philippo Gulielmo, Mauritio, Frederico Henrico, Gulielmo II, et Gulielmo Henrico, uno atque altero ſæculo aggeſta, ac promiſcue repoſita, quam variis e locis loculisque, qua debuit fide, qua potuit cura atque diligentia, hoſce in ordines digesſit Conſtantinus Hugenius, Eq. Zulichemi et cæt. nonagenarius. Anno* 1686." — Hunc ego librum notatum inveni in Cod. MSS. bibliothecæ H. A. Werumei, venditæ a. 1783. Groningæ, fol. C. Lit. R. Cæterum non ſcio an per typographicum prælum major libri copia fuerit facta.

CONSTANTINI HUGENII DE VITA PROPRIA SERMONUM INTER LIBEROS LIBER PRIMUS.

Multi homines cum antiqui tum recentiores de ſua ipſi vita ſcripſerunt. Legimus Thuani vitam propriam Aurel. 1620. Hieronymi Cardani, G. Buchanani, aliorum. Conf. Struv. Introd. in Notit. Rei Litter. p. 690. ſq. Egregie de talibus ſcriptis Tacitus cap. I. Agr. *Plerique ſuam ipſi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt. Nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime æſtimantur, quibus facillime gignuntur.*

v. 2. Dignus eram.] Si qui ſint, qui contendant Hugenium ſcribere debuisſe, *esſem*, his ego propter præcedens *fuerit* asſentior. Nam Romani etiam in oratione non directa non ſemel utebantur indicativo. De poëtis nos monuit Lennep. ad Ovid. Heroid. X. 68. De aliis ſcriptoribus Mahne Epiſt. Sodal. Socrat. p. 358. ſq.

v. 15.

v. 15. Eſte procul Pindi, non nunc mea numina.] Pie et ad rem appoſite ſenex octogenario major de re non ficta ſcripturus, fabulas abesſe jubet. Ita etiam alii rem graviorem ordiuntur. C. Barlæus T. II. poëm. p. 46. *Ite procul veteres, Parnasſia numina, Muſæ — Ite procul ſtudiis turba profana meis. — Sola ſalutiferum deſtillent pectora Chriſtum — Et latices ſacro nunc Helicone fluant.* Conf. idem Barlæus in Epiſt. p. 271. Et recte ita faciunt poëtæ. Præbent omnino fabulæ Deorumque invocatio magnum carminibus ſplendorem, ſi judicio fiat. Veteres ipſi, quos tamquam exempla merito ſequimur, pro diverſo, quod tractant argumento, diverſos Deos in auxilium vocant, ut Virgilius in Georgicis Liberum et almam Cererem, Lucretius in opere de rerum Natura, Venerem. Igitur et nos hic aliquam rationem ſequi oportet, neque, ut hoc utar, ſacra profanis miſcere. Miror adeo M. H. Vidam in præclaro carmine de Arte Poëtica lib. II. v. 22—23. adhortantem: *Quos ores autem non magni denique refert — Dum memor auſpiciis cujusquam cuncta Deorum — Aggrediere.* Sed hoc non effugisſe videtur T. Triſtramum, qui Vidam annotatione illuſtratum edidit Oxonii a. 1723, qua ſuam Vidæ editionem a. 1766. C. A. Klotzium non auxisſe miror, ut nec iis quæ Odinus præcipue contra Scaligerum ſcripſit in T. II. Carm. Didaſcalicorum p. 311. ſq., ad Vidam defendendum. Triſtramus igitur p. 105. rationem hic tamen aliquam ſervandam esſe agnoſcit. Neque hæc nunc dico quaſi nomine Christiano indignum putem, Deorum nominibus uti, quod multi olim putaverunt, religioſius, mehercle, quam doctius. v. Menag. in Anti-Bailleto T. VII. p. 1. Sed iis nominibus uti loco alieno, hoc demum est delphinas ſilvis appingere. Loquor ut ſentio. Quidquid Menagius ad Malherbæ poëmata p. 44. et Burman. ad Lotich. T. I. p. 611. ad refutandam Scaligeri reprehenſionem adferant, ea me quidem parum movent, ut credam Sannazarium in carmine de Partu virginis ſuo loco Deos et fabulas ad partes vocasſe. Fabulas enim veris ita immiſcuit, ut hæc mihi legenti videantur leviora, illæ graviores.

v. 30. Hagæ naſcebar. Niſi dicere ſufficit Hagæ,
Infinita dabo, quæ nulli encomia, nulli
Jure dari conſtat de magnis urbibus urbi.] Solum natale

le mira dulcedine Hugenium duxit, cujus adeo laudes in poëmatis suis passim cantavit. Lib. I. Serm. 545. 828. Lib. II. 1025. Moment. Desult. p. 147. Eleganter Barlæus T. II. poëm. p. 409. *Sedes prisca Ducum, non urbs, tamen urbibus ipsa — Major.* Hinc Becman. Hist. Orb. p. 344. appellat Hagam *Comopolin.* Adde Hegenit. Itiner. Holl. p. 137. — *Nulli* autem non frustra nec metri causa repetitum est. Solebant voces ita repetere et Græci et Latini ad majorem vim addendam. v. Bergler. ad Aristoph. Ran. v. 1397. Markl. et Burman. ad Propert. II. II. 37. Heins. ad Claudian. II. Rufin. 402. et Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 57.

v. 33. Hagæ, ubi nec veterum cui vatum laude Secundus,
Coeperat heu curtæ nimium primordia vitæ.] *Cui*, pro *alicui*. Ad nomen Joännis Secundi, nulli veterum secundi, etiam alludit Theodorus Beza in his: *Unus quatuor hæc sic præstitit ille Secundus — Secundus ut sit nemini.* — Similes allusiones apud antiquissimos poëtas reperias. Observavi de ea re nonnulla ad Xenoph. Ephes. L. III. p. 270. Sacram historiam his esse plenam, in quibus non pauca, quæ videantur alieniora, dicit Casaubon. de Edit. Homeri Hackiana p. 173. Ratio profecta est a simplicitate quadam, quam recentiores Græci et Latini cupide arripientes, abusu ineptam et puerilem fecerunt. Relinquenda potius erat sæculo simpliciori, minime saltem ferenda in graviore nostræ ætatis poëmate. Idque in Miltono jure culpavit R. Steelius in Spectatore T. VII. Diss. X. p. 80. Sed de re universa melius cognosci poterit exemplis, quæ præbuerunt Burman. ad Anthol. Lat. T. I. p. 229. ad Lotich. Poëmat. T. I. p. 906. et H. J. Arntzenius in Miscellan. Cap. IV. p. 39. 40. — Poëta Hagiensis vero utebatur cognomine Secundi, ne cum patruo suo, Jano Nicolai f. confunderetur. Hoc latuit Monnæum ad Bailleti Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 154. et Niceronum Mém. T. XVI. p. 237. non latuit Burman. in Anti-Klotzio p. 8. Quanti autem Hugenius civem hunc nostrum fecerit, ut omnes eruditi nostrates, apparet et Mom. Desult. p. 74. in carmine De domo natali Jo. Secundi, p. 371. ad Schurmanniam, num Secundi sculpturam imitari voluerit. Et vero Hugenius habebat pictam illius a Picarto effigiem. Sed de Secundo non pauca de-

dedimus in disputatione nostra de Poëtis, quos Belgium protulit, Latinis.

v. 49. Quinquennis in omni — Concentu primus vel eram, *καὶ ἔξοχος ἄλλων.*]

Jocose rem tenuem verbis ornat gravissimis, ex Homero petitis. Habent Græca, ita Latinis immixta, quo in hujus generis carmine excusentur. Nec desunt exempla veterum. — Qua ratione pater Christianus filium Constantinum docuerit literas et signa Musica, memorat Jacobus Catsius in carmine quod Matrem inscripsit. Is igitur p. 396. poëm. ed. in oct. ita canit:

Ik weet een agtbaar man, die zonder eenig kyven,
Alleen uit zoete jok zyn kinders leerde schryven;
Hy gaf hem op de vloer, daar zat hy in het zand,
En wees een A een B te stellen met der hand;
Al scheen het gantsch beslag tot spel alleen te strekken,
Zoo leerde dog de jeugd bequame letters trekken.

v. 72. Tempus erat.] Ita Latini utuntur imperfecto, quasi eos moræ poeniteret, ad indicandam celeritatem qua quid fieri volunt. Sic *jam dudum* pro *quam celerrime* apud Ovid. XI. Metam. 482. *Ardua jam dudum demittite cornua rector — Clamat.* Atque par ratio est in Græcis, ubi male nonnulli confugiunt ad Heterosin, ut Vechner. Hellenolex. I. c. 14. et Viger. Idiot. p. 214. ed. Hermanni, qui meliora docuit de ista temporum permutatione in libro de Emendenda Rat. Græc. Gramm. L. II. c. 19. Nota sunt Horatii I. Od. 37. 4. — *ornare pulvinar Deorum — Tempus erat.* Nam quod C. Barlæus Ep. p. 345. legit *erit*, hoc fecit alludens ad locum Horatianum. Hunc imperfecti usum non intelligens Gallus quidam, Poinsinetus Sivreus, locum Horatii mire refinxit:

Nunc, est bibendum nunc; pede libero
Pulsanda tellus nunc. Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus sodales
Ante, ac nefas depromere. Sq. Non minus ridicule,

inquit eques Croftius in *Horace éclairci par la ponctuation* p. 137, quam Harduinus, qui in Lalage dulce ridenti et dulce loquenti religionem fibi vifus est reperisfe Christianam.

v. 74. ——— quafi nempe fcientia rerum
Heic, ubi nec nata est, Romæ defosfa lateret.] Omnia nempe Græcis debebant Romani, Græcia capta ferum victorem cepit et artes — Intulit agrefti Latio, Horat. Ep. II. I. 156. Generofæ mentis juvenes, qui Græcas literas amare velint, legant et difcant orationem D. Ruhnkenii de Græcia artium ac doctrinarum inventrice. — Sed aliarum quoque rerum fcientiam intelligere potuit Hugenins, quæ Romæ nec natæ nec inventæ Romano tamen fermone exponebantur. Cæterum non is erat, qui ufum linguæ iftius aut minui aut tolli cuperet. Sed difplicebat illi parentum quorundam religio, qui jam infantium ingeniis non lene fed durisfimum admovebant tormentum.

v. 79. Scilicet a primis vagitibus unus et alter
Suffecit, quibus infantem vernacula mater
Verbula, et his blande fenfim garrire doceret.] Locum verborum ftructura turbatum, ita explicandum esfe arbitror. Scilicet fuere etiam qui teneris infantibus fuggererent verba paucarum fyllabarum Latina, eosque hæc verba docerent garrire, quæ verba funt hujus generis, cujus, quæ in fermone vernaculo primum infantes docent. Atque hic commode in mentem mihi veniunt, quæ leguntur apud Morhof. T. I. Polyh. p. 422 fq. de puerulo, quatuor annos nato, qui tanta facilitate et puritate Latine loquebatur, ut nihil fupra. Res ifta et ratio, qua puerulus est inftitutus, exponuntur in libello Gallico, deinde Anglice converfo, Lond. 1669. *An Examen of the way of teachting the latin tongue to little children by ufe alone.* Hujus libri, quem in manibus paucorum esfe fufpicabatur, Morhof. l. l. fummam recenfet. Ejusdem, credo, farinæ esfe librum Gallicum, Launai, *Nouvelle Methode pour apprendre la langue Latine, par un fyftême fi facile, qu'il est à la portée d'un enfant de cinq à fix ans.* Paris 1759. Apparet Catfium noftratem non alienum fuisfe a ratione per ludum docendi puerulos linquam Latinam. v. Carmen illius de Matre.

v. 95.

v. 95. — en ipſam nondum declino.] Duplicem verbi *declinare* ſignificationem non captare non potuit Hugenius. Hoc ſi in ſatyra, Epigrammate aut ſermonibus parce fiat, ſuam habet elegantiam, ſi quæras anxie, omnis perit lepos. Quam acre eo Epigrammatis acumen concilietur, oſtendit Martialis, qui non ſine judicio nec ad fastidium abutitur, quod in multis recentioribus est culpandum. Plurima ejusmodi exempla ſunt in Oweno, quem qui Martialem Cambridgienſem nominaverunt, neſciverunt quis esſet Martialis Bilbilicus. Sed omnium, quotquot vidi, hic fuit ineptisſimus Frid. Hoffmannus, ſcripto Poëtico cum Muſis colludio, cujus etiam altera editio prodiit Amſtel. 1665. Vultis exemplum, in quo duplex vocis ſignificatio eleganter reſpicitur, habetote ejusdem verbi *declinare.*

Gallia dum pasſim civilibus occidit undis,
Et cinere obruitur ſemiſepulta ſuo.
Grammaticam exercet media Rex noſter in aula.
Dicere jamque potest rex generoſus, Amo.
Declinare cupit, vere declinat et ille,
Rex qui bis fuerat, fit modo grammaticus.

Fecit hoc Epigramma neſcio quis in Henricum Tertium, Galliæ regem, qui majorem Linguæ Latinæ quam regni curam gerebat.

v. 108. — patriæ vitium detergere linguæ.] Ita Latine loqui, ut pure loquerer, nec mihi quidquam ex ſermone patrio adhæreret.

v. 110. Innocuos defendebam, patronus egenti,
Infenſus latrociniis.] Ut ſolebant pueri Græci Romanique in ſcholis rhetorum. Et eleganter hoc ita proponit, quaſi revera tales cauſas ageret, et latronibus esſet infenſus. Sic Juvenal. Sat. VII. 162. — *Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem — A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus — Circumagat madidas a tempeſtate cohortes.*

v. 113. ——— violasque et lilia plenis
Fundebam calathis] Virgil. Eclog. II. 45.

 Huc

Huc ades o formose puer: tibi lilia plenis — Ecce ferunt Nymphæ calathis.

v. 124. — Ariſtotele gravidum.] Tribrachyn poſuit pro dactylo, ut Virgilius et alii interdum faciunt, Græco ſcilicet more, qui poſitione latius utuntur, et in cauſa cæſuræ liberius agunt. Recentiores Romani hac libertate abuſi ſunt. v. Interpretes ad Disticha Catonis I. XXVI. et Burm. ad Anthol. Lat. T. I. p. 75. Didicit Hugenius Græcas literas, quo melius philoſophiam Ariſtotelis ex ipſo fonte hauriret, contra quam multi facere ſolebant, in quibus etiam qui philoſophum commentariis ſe illuſtrare profesſi ſunt. Erant in his nonnulli cives noſtri Matthiſius, Gruchius, Gilkenius alii. Longe melius famæ ſuæ conſuluerunt D. Heinſius, ſimilesque Heinſio. Philoſophia autem Ariſtotelis diu in patria noſtra viguit. Quod viguerit, acceptum etiam referimus Joſepho Scaligero. Nam quum in concilio Curatorum Academiæ Leidenſis de admittenda Rami doctrina ageretur, hic Janum Douſam monuit atque hortatus est, ne quid novari pateretur. v. Scalig. Ep. XXVI.

v. 128. — et anteferat longis compendia tricis.] Eglizemius ille, *Scotiæ famoſus athleta, fortis atque ferox*, non multum placuisſe videtur Hugenio. Nec mores illius probabat Heinſius in Syllog. Epiſt. Burm. T. II. p. 306. Si quidem Eglishemius ille ſit idem, quem hic Eglizemium vocat Hugenius.

v. 134. Proh! ſuperi: Latio non inclementius æquor.] Voluit, credo, indicare, Linguam Græcam etiam Latina majores ſibi difficultates peperisſe. Verba, ut nunc leguntur, ſignificant contrarium.

v. 137. Succesſit, currente rota, labor improbus.] Horat. Art. Poët. 22. — *amphora coepit — Inſtitui, currente rota cur urceus exit?* — Ut ſignificet ſe eadem asſiduitate, qua rota figuli currit, fuisſe in diſcendo occupatum. Potuit tamen etiam alterum locum Horatii in animo habuisſe, nempe lib. III. Od. X. v. 10. *Ingratam Veneri pone ſuperbiam — Ne currente rota funis eat retro.* Quem ta-

tamen alii aliter explicant. Mihi hæc esse sententia videtur. Amori, Veneri, Fortunæque ingratam fuisse superbiam multis docemur exemplis. Habebant Amor et Fortuna suam quisque rotam. Et apud nonnullos populos, ut Siculos Agyrinensis in communi delubro colebantur. v. Broekhuf. ad Tibull. I. VI. Rotæ isti Fortunæ funem felicitatis nostræ habemus alligatum. Jam si rota nimio impulsu in altum feratur, accidit ut funis tantam vim sustinere nec sequi possit, adeoque frangatur et retro eat, quo facto *omnia in pejus ruere ac retro sublapsa referri*, ut canit Virgil. I. Georg. 200. Atque hæc sententia videtur fuisse veteris Commentatoris Cruquiani: „; *Ne nimia velocitate rotæ rumpatur*." Horatius sine dubio hanc imaginem Græcis debuit. Exemplum quidem veteris poëtæ adhuc desidero. Extant tamen apud alios scriptores, ut Aristidem, quem laudavit Lambinus. Adde Lucian. Navig. T. II. p. 875. οἶσθα οὖν ὡς πάνυ σοι ἀπὸ λεπτῆς κρόκης ὁ πᾶς δυτοσὶ Πλοῦτος ἀπήρτηται, καὶ ἢν ἐκείνη ἀποῤῥαγῇ, πάντα οἴχεται. Heliod. VII. Aethiop. p. 361. οἴχεται τὰ καθ' ἡμᾶς — πᾶν, τοῦτο δὴ τοῦ λόγου, πεῖσμα διέῤῥηκται. Paulum diversa ratione hanc rotam finxit Sophocles Fragm. p. 118. Ἀλλ' οὑμὸς ἀεὶ πότμος ἐν πυκνῷ θεοῦ — Τροχῷ κυκλεῖται, καὶ μεταλλάσσει φύσιν. — Tribuit Horatius funi, qui retro it, quod alii fortunæ. Nota est hujus ὁρμὴ in altum ruentis. Hinc ipsa retro it. Liv. XLV. 41. *Ex summo retro volvi fortuna consuevit.* Eurip. Orest. 808. ὁ μέγας ὄλβος — πάλιν ἀνῆλθε.

v. 138. Græculus audiri, neque et hoc sine carmine, coepi.] Exstant pauci hujus diligentiæ fructus in Momentis Desultoriis, neque hi valde elegantes. Quod in Hugenio sane non miror. Habuit patria nostra suos etiam poëtas Græcos. Sed si a D. Heinsio, P. Francio et N. J. Wassenaario discesseris, non valde excellentes. M. G. Lizelius scripsit historiam poëtarum Græcorum Germaniæ ed. Francof. 1730. Ego in disputatione mea de poëtis Belgii Latinis professus sum, me de poëtis Belgii Græcis aliquando esse scripturum. Et, quantum per me sit, fidem servabo.

v. 145. Extera me Venus excivit.] Venus transmarina, Græca. D. Heins. Silv. I. p. 13. — *cujus scripta melle perpluit Venus* —

Non transmarina, non Pelasga, sed Quiris. Et Francisc. Modius Silv. Carm. c. 5. *Ergo aliae placeant ornatu trans mare sumto — Nostra suo et patrio si placet una, sat est.* — Ex Cicerone, qui III. de Orat. c. 33. *Quid enim M. Catoni, praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam, defuit?*

v. 146. — ut vestro totum me fervidus auro Proluerem.]

Ex Virgilii I. Aen. 739. *Ille impiger hausit — Spumantem pateram, et pleno se proluit auro. Aurum* Virgilius posuit de poculo, Hugenius de aureis Athenarum artibus ac doctrinis. Uterque recte. Aristoph. Plut. 268. *χρυσὸν ἀγγείλας ἐπῶν.* Et *χρυσᾶς Ἀθήνας* praeter alios dixit Eustath. de Amor. Hysm. p. 1.

v. 180. Scilicet ad mores non haec insania tantum Non facit ingenuos.]

Romanis erat *insania* saltare, ut ex noto Ciceronis pro Mur. c. VI. loco patet: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.* — Hugenio videbatur illud *μανῆναι χαρίεντως*, neque sine utilitate, quam mox explicat. Non verum est, inquit, quod nonnulli putant, hanc insaniam non tantum facere, non tanti vel nullius esse momenti ad ingenuos mores, imo sq. Alia ratione artem defendit Socrates apud Xenoph. in Sympos. cap. II.

v. 189. ——— nec hibernos nescire Batavum
Ferrato pede per glaciei strata natatus.] Wyttenbachius in Philomath. T. III. p. 243. discipulos suos monuit, ut alia potius tractarent vel palaestrica vel bellica, ingenuis adolescentibus magis decora et utilia, istud autem hibernum et prorsus frigidum et periculosae plenum opus aleae, quo inceditur per aquas, suppositas glaciei dolosae, aliis relinquerent. Sed cogitabunt, credo, secum ingenui adolescentes. Omnia corporis exercitia, nisi prudenter agamus, sunt periculosa. Nec videmus cur armorum et palaestrae exercitatio sit magis decora. Non eadem semper cunctis nationibus sunt honesta et turpia. Hollandis quidem moribus nunquam alienum fuit a persona liberalis adolescentis, cothurnis ferratis glaciem crispare, et longissimum iter brevissimo tempore perficere. Ego,

Ego, ut verum fatear, cum adolescentibus facio, iisque exemplum Hugenii ostendo, qui et artem ipse didicit, et liberos suos deinde docendos curavit. Hos laudat in Moment. Desult. p. 149. *paucis diebus incredibilem ferratarum solearum peritiam adeptos.* Jam Hugenius optime intelligebat quid esset decorum, quo constet neminem in omni vita fuisse elegantiorem. Non igitur mirum est hoc gaudium hibernum poëtis Belgicis varios eosdemque suavissimos ingenii lusus præbuisse. Ipsam artem egregie depinxit Hadr. Marius in Epist. ad J. Secundum, in hujus Poëmat. p. 261.

Nec solis ars nota viris. Ars nota puellis
Hæc etiam, junctique volant per marmor amantes,
Aut si quæ teneros ignorant ducere gressus,
Insistunt latis soleis, binosque prementes
Sub pede mucrones, juvenis currentis in ulnis
Immotæ stantes vertuntur et æquora tranant.
Ipse Amor in medio fertur, tædamque coruscat,
Quaque volat, mentesque hominum colliquat et æquor.
Sæpe aliquis juvenum glacie (quis credat?) in ipsa
Inventos abiens secum tulit inscius ignes.

Hæc certe sunt rotunda, venusta et perspicua, magis quam illa Erycii Puteani in Chimonopægnio ed. a. 1619.

Hi cursu insolito faciles, soleasque secanti
Suppacti ferro, per marmoreos pede campos
Pegaseo volitant; istas jam non celer alas,
Talia Atlantiades cupiat talaria, Belgæ
Ingenio cedens, ferrato munera Divum
Aurea concedens ligno. Namque ulmea rostro
Buxea procurvo erigitur, geminumque carina
Conjungit media latus, et compagine fixi
Libratur ferri. Concretum acies arat æquor
Obliqua, ut vomis glebam, grave robur aratri.
Sed digitos mediumque pedem, calcemque recurrens
Constringit lorum, plantisque immobile lignum
Affigit. Pueri passim pueræque gelatos

His

His fluvios carpunt soleis, ferroque vehuntur.
Et, rectos cum posse negent consistere membris,
Aut proferre pedem, currunt, glaciemque patentem
Remigio alterno superant, neque crure fatiscunt.

Paquotus T. XIII. Mém. p. 403. hæc Puteani laudavit. Ego facilitatem desidero et perspicuitatem. Nam descriptio instrumenti est obscura. Acute magis, quamquam in Disticho, Hugo Grotius Epigr. p. 306.

Quæ Batavum miratur hyems, sola ferrea cernis.
His per aquas, nec aquas, ire, nec ire, licet.

Festive D. Heins. I. Eleg. II.

Tu procul horrentem metiris perfide Rhenum,
Et nimio vinctam frigore curris aquam.
Hic, ubi turba levis, teneri glomerantur amantes,
Et sequitur socium juncta puella virum.
Hei mihi! Si nescis, media Venus errat in unda,
Materiem culpæ quam dabit illa tuæ!
Adspicies pulchras celeri pede currere Nymphas,
Et cupies saltem jungere posse manus.
Ah miser! atque hic dum pedibus talaria nectis,
Officii pretium basia forte feres.

Quæ omnia ab Ovidio melius dici non potuerunt. Nec patri cedit dignus illo filius Nicolaus, qui in Juvenil. I. El. VI.

Adspice constrictum brumali frigore Rhenum,
Languidus ignavis hic ubi repit aquis.
Ecce viri, mixtæque viris simul ecce puellæ,
Mobile duratas ut terat agmen aquas.
Lubrica crispantur rapido talaria cursu,
Ceu Gortyniaca spicula torta manu.
Palma tamen meritis donetur prima puellis,
Prætereunt illæ, cum voluere, viros.

In

In iis, quæ in eadem Elegia sequuntur, valde admiror luxurians illud et Ovidio simillimum ingenium. Exempla a fabulis sumta, sumsit autem multa, totidem testes sunt judicii et sensus, quo Nicolaus antiquos poëtas et legit, et explicavit, et imitatus est. H. Grotius in Eleg. I. p. 146. hyemis commoda ita descripsit, ut in medio vere illud anni tempus desiderare possimus. Et merito Elegiam istam egregiam appellavit Burman. ad Anthol. Lat. T. I. p. 651. Quam, jucundo et vere Romano colore Amorem in glaciem produxit!

Tunc etiam noster sese felicibus alis
Tollet, et ad coeli sidera surget amor;
Cum mea lux glaciem mecum calcabit, et ibit
Per vada, nocturno contabulata gelu. . .
Quis putet? in glacie veros invenimus ignes.
Fervor in adstrictis frigore regnat aquis:
Quis juvenum primus ferrati vincla cothurni
Nexuit, et rapidis ocyor ivit equis?
Quis docuit teneras iter hoc glaciale puellas,
Composuitque manus composuitque pedes?
Lubrica sulcatur ferro via. Lubrica certe
Est via ab insidiis, parve Cupido, tuis!
Illo Mercurius posuit talaria viso.
Plus Batavos ipsis fassus habere Deis.

A talaribus Mercurii etiam Epigrammatis acumen mutuatus est Janus Dousa, J. F. Epigr. XXIV.

Mars pater adstricto cernens in marmore Rheni
Currere ferratis Cattigenas soleis.
Ad tam pulchra Deos spectacula convocat omnes;
Dumque artem inventi jactitat esse sui,
Tandem hæc ad comites, et te fortasse notabat
Dum reliquos cursu, Romule, prægrederis:
Nunc sua quamtumvis talaria præferat Hermes.
Altius ut volet hic, ocyus iste volat. —

Si.

Similis fere argumenti Epigramma fcripfit A. de Rooy Eleg. Volum. p. 33.

Cur tibi, Atlantiade, fuperum petafate minifter!
Aligeras plantas fabula cafca dedit?
Fulmine quod citior, rapido velocior Euro,
Quo Jovis ablegant jusfa verenda, feror.
Credimus, at celeres non prævertére Batavos;
Trans glaciem ferro gens ea quando volet.
Et, puto, fi prifcis ars hæc viguisfet in annis,
Falcigeris foleis confpiciendus eras.

Laudes hyemis etiam celebravit Petrus D'Orvillius III. El. I. neque artem noftram omifit p. 54.

O quoties alicui, glacie dum currit in ipfa,
Algentes artus urere coepit amor.
Ille ignes mirans fubitos, putat esfe citati
Corporis, aut Brumæ deficientis opus.
Et fe, nefcio cui, jactare incepit amicæ,
Ac meliore fuos arte movere pedes.

Adde fuavisfimum E. G. Higtium in Trochaico carmine de Reditu Veris, p. 23.

Vidimus rigente tectos ftare fontes marmore:
Vidimus campos pruinis obrutos candentibus.
Præpeti curfu viator dorfa rafit amnium,
Et fluenta transvolavit nixus alis ferreis.
Sic iter carpis, Deorum, nate Maja, nuntius:
Sic Jovis pinnatus æthram pervagatur armiger:
Ipfe, qui tridente Pontum coerulus mulcet Pater,
Non rota magis volucri ftrata tranfit æquora.

Potuisfem loca tantum indicare, ubi verfus fupra pofiti, invenirentur. Sed omnibus aut non vacat aut non libet ea indagare. Lufimus et nos aliquando in fimili argumento, quod, roganti amico, cui nihil negare debemus, adfcribendum curavimus.

Ve-

Veris alter pulchra pulchro regna dicat carmine,
„ Ver, canens, o semper ægris assores mortalibus!"
Alter æstati coronam frugibus nectat novis;
Alter auctumno racemi purpura velet comas;
Mi Deorum cuncta suavi dona mulcent gaudio.
Mi nefas hyemem silere. Quo mereris crimine
O bona, ut nomen vel ipsum terreat vates tuum?
„ Mortis atræ frater audis, dura et intractabilis.
„ Te creavit ira Divûm, noctis e gremio nigræ,
„ Tu comas hirsuta canas, tu gravis barbam nive,
„ Sedem habes diram tenebris et maligno frigore."
Quas manus habebat hujus artifex imaginis!
Maximæ pinxisse regem debuit potentiæ,
Sed benignum, sed foventem membra naturæ suo
Lassa tecto, veris unde rursus amplexum petit.
Qui genus mortale quondam, moribus vivens feris,
Saxa per silvasque degens perque sola montium,
Vinculo dulci ligavit caritatis mutuæ.
Quo docente construebant gramine et ligno casas,
Aridamque clara flamma splenduit per corticem.
Flamma cresce! crescit una lene per pectus calor.
Ecce Hymen myrto virente cinctus et rosis caput,
Copulat viros feroces conjugum miti jugo.
Et focum circa nitentem blanda patris nomina
Præcinit suboli tenellæ et blanda matris nomina.
Hic manus primum Cupido exercuit procax rudes,
Hic pharetram sæpe inanem retulit telis domum;
Quæ volabant huc et illuc ceu procella grandinis.
Hei mihi! quam certior nunc est manus Cupidinis!
Quot sagittas ejicit, tot sentiuntur vulnera.
Pristino sed mente volvens bella coepta tempore,
Sumit arma, quum juventæ bruma congregat choros,
Et sequi currum triumphans multa cogit millia.
Nec tamen pulchræ timete servitutem virgines,
Nec puer discerpe vinclum pertinaci dextera.
Nam Cupido ferrum et ignes vincit et fulmen Jovis.
Asperos premit superbe, supplicesque diligit.

Vivimus cuncti tyranno præda nata parvulo.
Ocyusque feriusque læta libertas abit,
Servitute quam puer nec virgo mutet aurea.
Dum rosis immixta pingunt ergo vultum lilia,
Vivite, et ludos Amori Cypridique reddite.
Febris afflat ore diro si rosas et lilia,
Tunc amari sunt lepores, sunt amara gaudia.
Et venit senecta tardo, sed venit certo gradu.
Najadum sed quæ choreæ prodeunt volantium
Vitrei per æquor amnis, lubricam soli viam!
Mobili splendens acutum stridit in planta chalybs.
Vestis alba contegit vix candidi talos pedis.
Alba vitta, ludus Euri, vertice a summo fluit,
Inque sole splendor auri se nitens repercutit.
Jupiter spectatum Olympo, si sapis, venias celer!
Quin mane! nam, ignosce fasso, furta novimus tua.
Nec feres motus decoros; nec decoras virgines.
Quam modeste, quam proterve dorsa radunt fluminis!
Tramitem notis vagantes exarant crystallinum.
Nunc sinistro, dextero nunc pendet in libramine
Tenue corpus, exit ore prono anhelitus levis.
Vix reluctantes papillæ continentur fascia.
Sic natant coeli per auras alites Caystrii.
Nubibus modo propinquos dividunt altis choros,
Ocupare prata juncto nunc videntur agmine.
Quo rapit vos, pulchra turba, quo pedum velocitas?
Quid fugis, trepidæ rapacem ceu columbæ milvium?
Ferreis pubem cothurnis quæ procul læta advenit?
Ah! manete; vos furentes non sequuntur frangere.
Dulce defessis levamen, ni negatis, afferent.
Præmiumque inane sperant, ni negatis, osculum.
Vestra sevit per labella mille Cypris oscula.
Si legantur, in labellis purpuræ crescit decor.
Mella apes odora sugunt roscidis e floribus;
Non idem splendent benignis margaritæ in floribus?
Ah! manete, non feroces Romuli sunt milites.
Vos Sabinas ne referte simplices et rusticas.

Glo-

Gloria hic vinci puellae major est quam vincere.
Ipsa Cypris Cypridisque natus hoc bonae volunt,
Poplites quondam morati callide Schoeneïos.
Fallor? an minus citato carpit impetu viam?
Cerne ovantes lassa stringunt virginum vestigia,
Liberique dissolutos permeant juvenes choros.
Sic decet. Notata quæque cum pari cedit suo.
Ille brachium reducens dexteram tergo explicat,
Illa furtim et contremiscens dexteram imponit suam.
Dextræ inhære, pulchra virgo, dexteram preme dextera,
Pollicemque junge palmæ, junge palmam pollici,
Ne tuis cadendo risum debeas æqualibus.
Cras licebit, si petatur, retrahas cito manum,
Ut viator, angue viso, retrahit cito pedem.
Tortili nunc e duabus una nodo fit manus.
Nunc doli secura perge, quo rapit vis acrior.
Dux, viden', novo vigore pectus effert arduum,
Et citis fluenta tecum pervolat talaribus.
Tu comes serva tenorem, tu comes serva modos,
Reddit umbra ut sole puro corporis formam sui.
Jam domus nutu recedunt, jam recedunt arbores.
Nec viæ speculum volantes sentiunt se tangere.
Cedat Eurus, et trisulca tela sævi fulminis.
Hoc periculum caveto Mercuri certaminis!
Quamquam habes imo pede alas, quamquam habes in vertice.
Quæ tenebræ, pulchra virgo, lumen occupant tuum,
Infimis ut summa, summis misceantur infima?
Ah! puer suspende rostra, calcibus glaciem premens.
Ah! morare, per profundos scinde sulcos tramitem.
Hesperusque, et lux Dianæ jam micant argenteæ.
Lux amica, lux serena, blanda lux mortalibus;
Flecte iter. Remitte vela, et otio relabere.
Quid puer multo labore membra fessa protrahit,
An volens hoc ipse tardas anxius quærit moras?
Tu manus teneras, puella, tactiones consule.
Hæ loquuntur, auribusque clara vox amantium est.
Et tuis. Verum fatere. Non lates intelligens.

I* *Nam*

Nam rubore, qui per ora ſerpit illico, proderis.
Corpus horret, non, ut ante, ſanguis in venis ſalit.
Intimas novo medullas permeat ſenſu tepor.
O beata, hæc ſunt amoris pullulantis ſemina.
Ter beata, ſi benigno leniter foves ſinu.
Tunc amabis corde toto, et corde toto amaberis.
Vera canto. Nam Dianæ clarius micuit jubar.
Ipſa amavit, et ſecundum numen est amantibus.
Sæpe pastorem cubantem in rupe cernens Latmia,
Dum levem efflabat ſoporem candido de pectore,
Immemor ſui, reliquit auream coeli domum,
Et genas pueri innocentes mille ſtrinxit osculis.
Hoc Jovis fecit ſupremi filia, hoc Phoebi ſoror,
Tu parentibus creata non facias mortalibus?
Flos juventæ, quo nitescis, et voluntas postulant.
Postulat jamjam peracti dux laboris præmium.
Quo magis tristi propinquat termino dulcis viæ,
Dexteram magis tenace comprimit manu tuam.
Hei mihi! manum rapacem. Nam quid audax anulum,
Fraude, nullam ſuspicanti, ſurripit digito mala!
Hæc fides? quæ virgo credat blandienti jam proco?
Mel loquuntur, et venenum melle ſpargunt abditum.
Præferunt roſas, acutos callide vepres tegunt.
Et, nefas! mulcendo furta præparant fallacia.
Hæc fides! quæ virgo poſſit hoc videre et vivere?
Quin dolori mitte habenas, ira ſæviat tua.
Annulum digito ſcelestus teque ſurripuit tibi.

v. 204. Deërat adhuc oculos informatura Poëſis
Germane cognata ſoror, Pictura.] Miram artium convenientiam notavit etiam Horat. Art. Poët. v. 361. Ideo eleganter dixit ſororem Poëſios. Ita Horat. I. 24. 6. — *Cui pudor et Juſtitiæ ſoror — Incorrupta Fides, nudaque Veritas — Quando ullum invenient parem?* Ubi non admittenda mihi videtur G. Waddelii conjectura legentis in Animadv. Crit. I. p. 44. — *Cui pudor et justitia et ſoror — Incorrupta Fides.* Neque illud *ſoror* in his ita ſolum ponitur. Habet Horatius a Graecis. Ariſtoph.

ſtoph. Plut. 549. *οὐκοῦν δήπου τῆς πτωχείας πενίαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν.* v. Rhunk. ad Timæi Lex. Platon. p. 2. Festive Argentarius in Epigrammate primum edito a D. Heinſio in Poëmat. ſuis p. 506. *Κύπριδι κεῖσο, λάγηνε μεθυσφαλὲς αὐτίκα δῶρον — Κεῖσο κασιγνήτη νεκταρέης κύλικος.* Heinſius vertit: *Cypridis eſto lagena merobiba, Cypridis eſto — Donum, chara ſoror, nectarei calycis.* Locum Horatii imitatus est J. Secundus III. El. 8. *Quamque licet justae Germanam dicere Divæ — Incorrupta Fides.* Pictura autem, ut ait Hugenius, oculos informat. Tales oculos, qui de pulchritudine ſtatuæ vel picturæ judicare posſunt, *eruditos* appellat Cicero Paradox. V. §. 2. *Nonne igitur ſunt illa feſtiva?* (Echionis tabula aut ſignum Polycleti.) *Nam nos quoque oculos eruditos habemus.* — Ariſtot. Polit. VII. c. 2. laudat picturam *ὅτι ποιεῖ θεωρητικὸν τοῦ περὶ τὰ σώματα κάλλους.*

v. 219. Ipſe — Artis inexpertus, ſed quanti ſcire ſuorum
Cenſeret referre.] Hæc, quæ de præſtantia picturæ dixi, patrem fugere non poterant, qui ipſam quidem artis tractationem non intelligebat, ſed tantum tamen intelligebat, ut ſciret ſuorum multum interesſe, ut eam diſcerent. *Quæ, quid rerum proportio* vs. 212. pro *quæ aut qualis ſit.*

v. 234. Spretis majoribus.] Non intelligo *artibus*, ut forte cuipiam in mentem veniat, ſed neglecto generis mei ſplendore, ad quod picturæ quæstus levior videri posſet.

v. 240. Occiduos olim non longa ætate colores.] Pallas non ærea, armata, belli Dea, ſed artium procreatrix, picturæ dedit oleum, quo factum est, ut colores, olim brevi pereuntes, æterna quaſi juventa ſplenderent. Ars inventa creditur ante quatuor ſæcula et annos fere viginti. — Cæterum Hugenius pinxit effigiem patris ſui. v. Moment. Deſult. p. 311.

vs. 250. ——— Fuit hæc mihi charta, fritillus
Et pila, et ingenuis a moribus alea discors.] Imitatur Ciceronem pro Archia c. VI. — *aut quis mihi jure ſuccenſeat — ſi — quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum deni-*

 que

que aleæ, quantum pilæ, tantum egomet mihi ad hæc ſtudia recolenda ſumſerim. Quid proprie ſit *fritillus*, docet Scaliger in Scaligeranis p. 123.

v. 282. Dedelium tandem, cujus quæ ſcribo loquorque
Longis asſiduis et amicis debeo curis.] Eidem amico ornatisſimo Momenta ſua dedicavit:

Accipe vir venerande, vir excellens, vir amice,
Quæ veteri titulo dixeris: hæc mea ſunt.
Non ego cuique ſuum tribuam te judice, ni te
Culturæ faciam carpere poma tuæ.

Dedelius ab Hugenio discesſit a. d. VI. August. MDCXIII. Erat ille illuſtri genere, ſi quidem Dedelii, de quibus ſcripſit Cunæus in Epist. CXL. ſunt iidem.

v. 306. —— cum jam vasti quem Regula juris
Occupat e multis titulum.] Cum jam tenebam Tit. 17. *De Regulis juris antiqui*, et Tit. 16. *de verborum ſignificatione*, ex lib. I. *Digestorum. Quaternionem Cæſareum* intelligit libros quatuor Inſtitutionum Juſtinianarum.

v. 312. A patrio tandem jusſit pater esſe ſalino.] Eleganter pro *domo paterna.* Horat. II. Od. XVI. 13. *Vivitur parvo bene: cui paternum — Splendet in menſa tenui ſalinum — Nec leves ſomnos timor aut Cupido — Sordidus aufert.* Ut equidem locum puto esſe diſtinguendum, quod et postea a Rutgerſio factum vidi. Idemque cogitabat Kohlius in Comment. Crit. p. 205. Horatium ante oculos habuit J. M. Bagnaius T. II. poët. Ital. p. 7. *Hic felicia tempora — Hic dulces peragit dies — Cui non ambitio aut amor — Somnum ſordidus aufert.* — Dixi Hugenium eleganter poſuisſe *Salinum.* Non illi quidem parvo erat vivendum, ſed regnabat in domo paterna frugalitas Hollanda, ut tunc erat civium noſtrorum continentia et temporum disciplina.

v. 329. Paucos nempe dies qui vixerit impiger.] Qui paucos dies

dies summo studio et diligentia vixerit, ille dici potest vixisse multos. Facit breve tempus, longum. Nam, ut Seneca scribit c. VIII. de Brevit. vitæ, *non est quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non enim ille diu vixit, sed diu fuit.* Idem cap. VII. *Magni, mihi crede, et supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere: et ideo vita ejus longissima est, cui quantumcunque patuit, totum ipsi vacavit.* — Auream sententiam!

v. 356. Swanenburgi.] Erat Cornelius Zwaanenburgius a. MDCXV. quo Hugenius honorem Doctoris adeptus est, Academiæ Rector Magnificus. Legitur P. Cunæi Oratio funebris in Zwaanenburgium.

v. 359. Palluerim Lugdunensem quasi Rhetor ad aram.] Si ille esset superstes, fateretur me sua opera vix esse adjutum, neque in certamine vultu turbato palluisse, ut Rhetor Lugdunensis in certamine oratorio olim pallebat, qui victus et ignominiam et periculum sæpe subibat. Habet ex Juvenal. Sat. I. 43. 44. *Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem — Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.* conf. Suetonius in Calig. c. 20.

v. 371. ——— veris ad seria pugnis
Instruor, et non jam vano certamine pascor.] Vana certamina, exercitationes in scholis Rhetorum, opponuntur ipsi usui, veris bellis. Auctor Dial. de Caus. Corrupt. Eloq. C. X. — *te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco.* — Plin. Ep. II. III. a Scholasticis discernit eos qui in *foro verisque litibus teruntur. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis, innoxia est.* — *Res*, ut Graecis πρᾶγμα, et τι. Schola est res inermis. Janus de se apud Ovidium Fast. I. 103. *Nam sum res prisca.* Monui Heumanni causa, qui in Epistola ad Junckerum p. 179. verba Plinii *foeda* appellat, et emendat. *Schola et auditorium, ubi ficta causa, et lis inermis, innoxia est.* — Cicero sæpius *veritatem* ea significatione posuit. v. Ernesti Clav. in voce ipsa, Graecis ἀλήθεια. v. Wyttenbach. Bibl. Crit. Vol. I. P. I. p. 24. — Ad locum Plinii facit Cicero in Bruto cap. 9. *Phalereus — non tam armis institutus, quam palæstra.*

v. 373. Auctior octavo decimus mirabilis annus
Ibat.] Est annus sæculi octavus et decimus. Hugenius in Angliam profectus est a.d. VII. Jun. MDCXVIII. Et erat hic annus vere mirabilis, cum toti terrarum orbi, tum patriæ nostræ. Orbi terrarum, prodigio Cometæ, ut tunc vulgo habebatur, v. Continuat. Histor. Thuan. Vol. IV. p. 876. aliisque tumultibus, v. Cluver. Epit. Histor. p. 652., qui hunc annum *ejuleum* appellari posse scribit; aucta est hominum religio, quod eodem præcedentis Sæculi anno etiam cometa visus est, de quo multi in suis libellis egerunt, in his cives nostri Puteanus, L. Froidmondus, et T. Fienus. v. Sweert. Athen. Belgic. ad singula nomina. Erat porro annus patriæ nostræ mirabilis, facta rerum per Mauritium conversione, coäcto religionis causa Dordracum concilio, lite Oldenbarneveldii, aliis. Solemus autem annum, variis iisque gravissimis rebus insignem, nostro sermone *mirabilem* vocare. Exstat libellus: Pieter Hamers, *Nederlandsch wonderjaer* in 1702. H. Grotius edidit *Mirabilia anni* 1600. Hag. a. MDC. — Hæc monui, ne quis annum hunc ætatis Hugenianæ esse putet, quæ ratio cum die ejus natalis primo non convenit.

v. 378. Externos hominum mores invisere et urbes.] Quod accuratius Homerus Odyss. A. 3. Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, hoc uno verbo videndi expressit Horat. Art. Poët. 142. *Qui mores hominum multorum vidit et urbes.* Quod tamen neminem offendat, non magis quam apud eundem Epist. II. 1. 2. *Res Italas armis tuteris, moribus ornes.* Bentlejus hoc non ferens, legit *moenibus.* Graeci talia non fugiebant. Venit mihi in mentem unici apud Libanium exempli, non dubito tamen quin plura ejusmodi etiam apud meliores exstent. Libanius igitur Epist. 864. habet. τῷ τρόπῳ κοσμοῦντος τὴν βασιλείαν Ad. q. l. D'Orvill. in Addendis Edit. Wolf. fatetur se *moribus ornare* nusquam, quantum meminisset, legisse, non tamen dubitare, quin recte dici queat, et dictum sit a Venusino. Quid de his Livii dicamus? I. c. 19. *Qui, regno ita potitus, urbem novam, conditam vi et armis, jure eam legibusque ac moribus de integra condere parat.* Adde Aurel. Victor. c. 1. *Ut Romam prius legibus quam moenibus muniret.* — Locum

cum Horatii sua imitatione probavit Hippol. Capil. T. III. Ital. poët. p. 205. *Terras moribus ornavit et omnia — Erasit scelera.*

v. 382. ——— duce Carletone Britanno
Ad patriæ Proceres legato pene perenni.] Duodecim annos, uno excepto, qui medius elapsus est, fuit legatus apud nos. vid. Præfat. Roystoni ad literas Carletonis, ubi vitam illius breviter descripsit. Libri inscriptio est. *Lettres, Mémoires, et Negotiations du Chevalier Dudley Carleton, dans le tems de son ambassade en Hollande, depuis le commencement de* 1616 *jusqu'à la fin de* 1620. ex Anglico sermone conversus, prodiitque Leid. a. 1759. Egregium de hoc libro judicium fecit ipse forte Luzacius, in suo literarium nuntio, Letter-Courant a. 1759.

v. 404. Geiniades famæ obstruxit cum laude paternæ.] Duo fuere Gheynii, pater et filius, uterque Jacobi cognomine. Quanti fecerit filium Hugenius et h. l. ostendit, et in Moment. Desult. p. 81. p. 162. Ibidemque p. 159. posuit illi Epitaphium, cujus initium:

Aufer, viator, nobili pedem busto;
Hic artis, hic modestiæ penu calcas,
Hic Geinium: Barlæus in Epist.

p. 843. narrat eum obiisse Trajecti ad Rhenum, amicosque in templo Trajectino hoc suum distichon suspendisse.

Praxitelem Xeuxinque duplex discriminat urna,
Hic unâ Xeuxis Praxitelesque jacent.

Hugenius plane filium patre majorem esse judicavit. Forte hinc accuratius statui possit de auctore pulcherrimarum tabularum, utrum patri an filio sint tribuendæ; qua de re dubitabant Van Eynden et V. der Willigen T. I. Belg. Pictur. p. 53.

v. 407. Regalesque domos, quæ, quot collegia, gratis
Occupat incumbens studiis bene nata juventus.] Collegia, quæ totidem domus regales sunt. Erant Collegia Universitatis, Balionense, Mortonense, Novum, alia. Cf. Wood Histor. et Antiq. Univers. Oxon. a. 1674. ad quæ illustranda Lelandi fragmenta edidit Hearnius. — Descripsit etiam collegia Sam. Parke-

rus, fed disſimulato nomine. v. Theſaur. Epist. La Crozianus, T. II. p. 10. Conf. Struv. Introd. in Not. Lit. et Biblioth. p. 242. ſq. Iter ſuum Oxonienſe eleganti Elegia memoravit Hugenius in Mom. p. 249.

v. 412. Vidimus antiquis nondum conſumta feneſtris
Auguſtæ monumenta manus, et flebile carmen.] Jod. Sincerus in Itin. Galliæ p. 223. — *Wotſtockium, arcem antiquam, nullius ſplendoris. Captiva hic detenta fuit Regina Elizabetha a ſorore ſua. Verſus Anglicos feneſtræ inſcripſit, qui adhuc leguntur.* — Ego, verſuum legendorum ſtudioſus, hos in nulla rerum Anglicarum hiſtoria adhuc inveni. Tandem, nihil tale cogitans, in ipſos incidi. Leguntur ſcilicet in Poëmatis Adolphi a Dans, quæ prodierunt Lugd. Bat. a. 1636. Hic in vita Elizabethæ: *Specimen erit*, inquit, *admirandum illud carmen, quod de fortunæ inconſtantis levitate, materno idiomate conſcripſit. Cum vero neque calamum Auguſtæ calamitas admitteret, carbone, quod mente conceperat, in lignea feneſtra exaravit. Nos a ſitu et carcere vindicamus hoc illuſtre monumentum, et, quod hactenus in tenebris et robore delituit, noluimus ulterius invidere poſteritati. Igitur illud, ſicut accepi, heic viſum est ſubjungere, ne tantæ rei pereat memoria.*

Oh fortune thy Wresting wavering ſtate,
Hath franght with Cares my troubled witt:
Whefe witnes this preſent priſon late
Could beare where once was Joy ſtoune quitt,
Thou cauſedst ibl gniltle to be loſed,
From bandes where innocents where incloſed;
And conſed the gniltles, te be reſerned.
And freed theſe that deat had well deſerned,
Butt all herein can be nothing Wronghle,
So God ſend to my foes althey have tongle.

Elizabethæ
The
Priſonner, 1555.

Ita ipſi verſus in Danſio leguntur, non faciles intellectu, cum quod

quod antiqua Anglorum lingua conſcripti, tum, quod errore typothetarum nonnullæ literæ alieno loco ſunt poſitæ. Duo quidem homines Londinenſes, quos ea de re conſului, ad conjecturas ſe conferre debuerunt, legentes vs. 4. pro *ſtoune*, *ſlaine*. et in vs. ultimo pro *have Tongle*, *hate Strongle*. Quo facto carminis expediendi ratio certe est facilior. — In Poëm. Will. Shenſtonii p. 165. ſq. legitur Ode; ita inſcripta: *The Princeſs Elizabeth, Alluding to a Story recorded of her, when ſhe was Priſoner at Woodſtock.* Ipſa tamen Elizabethæ verba non referuntur.

Hæc in carminibus Danſii reperiri, Thomaſium etiam monuerat Olearius in Excerpt. apud Struv. Act. Lit. Faſc. VII. p. 76. 77. — Danſii poëmata vulgo minus nota ſunt, quam merentur. Nec vidi qui auctoris meminerunt, præter Parſium in Ind. Script. Batav. p. 273. et Morhof. in Polyhiſt. L. VII. c. 3. quorum hic eum vocat poëtam mediocrem, ille clarisſimum. Hoeufftius quid ſentiat, in Parnaſo Lat. Belg. p. 165. apparet ex Epigrammatis fine. Ego plura de Danſio alibi dixi.

v. 415. Dum ſors atra ſecurim, ſors minus atra ſecures
Promittebat.] Atra ſors promittebat ſupplicium, minus atra imperium. Easdem voces exiguo quidem ſed tamen majore intervallo poſuit Virgil. VI. Aen. 820. — *Conſulis imperium hic primus ſævasque ſecuris — Accipiet.* Et vs. 825. *Quin Decios, Druſosque procul, ſævumque ſecuri — Adſpice Torquatum.* — Ubi diverſus vocis numerus diverſa ſignificant. Manlium quidem a fuſtuario necatum tradunt hiſtorici, ſed hoc licet, credo, poëtæ. Et poenæ genus majeſtati carminis magis est conſentaneum.

v. 420. Quæ de fonte vetus Roſamundæ fabula plebi
Narrat.] Roſamunda ob eximiam pulchritudinem amata ab Henrico II., rege Angliæ, binos ipſi peperit filios. Hanc deinde, æmulæ uxoris invidia excitatus, clam interfecit. Godſtowii in antiquo et devaſtato ſacello ſepulcrum ejus oſtenditur, et reliquiæ Labyrinthi, ab Henrico, amicæ cauſa, facti. v. Cambdenus in Britan. p. 255. Vidit etiam illa monumenta Sincerus in Itinere p. 223.

v. 440. Heu miserande puer! quæ te fata aspera sceptris
Invidere tuis. Primo qui flore juventæ
Jam Marcellus eras.] Egregia imitatio Virgii. VI. Aen. 883. — *Heu miserande puer! si qua fata aspera rumpas — Tu Marcellus eris.* Hugenius cogitat Henricum Fredericum, principem Walliæ, filium Jacobi I. Hic natus in Scotia a. 1594. patrem a. 1603. regem Angliæ factum, eodem secutus, mortuus est a. 1612. subito rigore correptus, postquam statim ab equitando frigidam sumserat. Sunt tamen qui veneno interiisse credant. Nam populo erat dilectissimus, non sine invidia Jacobi. D. Baudius in Libro Jamb. Funebr. p. 313. sq. mortem Frederici deflevit.

v. 472. Ferrea succurrit mutilo manus. Illius apte
Motibus officium ablatæ præstare sinistræ
Usu doctus erat, usuque habitudine parta.] Rem similem narravit Plinius Hist. Nat. VII. 28. *M. Sergius sinistra manu sola quater pugnavit — Dexteram sibi ferream fecit, eaque religata proeliatus, Cremonam obsidione exemit.*

v. 504. ——— Proprio tibi nomine Cæsar
Optime, quam devinctus eram!] Erat is Cæsar Calandrinus, Ecclesiæ Italicæ Londini minister, cui Hugen. in Moment. p. 290. scripsit Epithalamium. Calandrinus Hugenio conciliavit amicitiam M. Antonii de Dominis, olim Præsulis Spalatrorum. Erat ille in causa religionis inconstantior. A. 1616. fidei catholicæ renuntians, in Angliam profectus, sacro munere functus est, quo fungebatur Calandrinus. A. 1622. Anglia relicta, Romam rediit, ut narrat Tursellinus Epit. Hist. L. XI. p. 482. et abjurata hæresi, quidquid antea male senserat, scripto revocavit. Idem Tursellinus Lib. XII. p. 488. mortem Antonii his verbis retulit: *Mense Aprili (a. 1624.) M. Antonius de Dominis rursus in hæresim lapsus, cum eum Romæ Anglis de hæresi consilia dare compertum esset, in carcerem conjectus, ibi gravi morbo affectus, senex ventre obeso, ad meliorem frugem rediit, ac moriturus sacramenta sibi administranda curavit, speciem præferens poenitentis. Ejus nihilominus corpus, una cum impiis scriptis, ob relapsus, in campo*

po Floræ, publice flammis traditum est, menfe Decembri. Hæc Turfellinus. Non defunt tamen qui dicant, Antonium veneno fuisfe interemtum. Qua de re hiftorici posfunt confuli. Ego tantum haec addidi, ad illuftranda Hugenii verba.

v. 511. ——— Quid ad vomitum recidivus.] Ita loqui folebant in animorum ftudiorumque ardore. Ifaäcus Cafaub. Poëm. Græc. p. 248. facit Bezam loquentem: — *οὐ μὰ γὰρ αὐτὸς* — *Οἷα κύων ἔμετὸν τὸν πρότερον φιλέω.* Unde apparet qualis Bezæ fides Cafaubono vifa fuerit. Et Cafaubonus veri erat ftudiofior quam Scioppius; qui in Epist. ad Rittershufium in Act. Lit. Struvii Fafc. V. p. 72. alia de Beza fingit. — Adde Carpenteium in T. I. Del. Poët. Belg. p. 956. — *divelleris ergo* — *Dixit, et ad vomitum canis ut lutulenta recurris.* Petita est comparatio ex facris literis.

v. 537. Mattiacis nox altera nos advexit arenis.] An Mattiaci in Zelandia noftra collocari debeant, dubitatur. v. Doufæ Annales p. 5. fq. Hugenius fequitur vulgarem opinionem. Ita et alii poëtæ et D. Baudius Poëm. p. 106. cujus rei in Notis ad fua ipfius carmina, rationem reddit his verbis: *Ita Zelandos appello, ex fententia maximi viri Hadriani Junii et præftantium Geographorum.*

v. 544. ——— annofoque patri pro foenore fortis
Non male depofitæ.] Et ea narravi meo patri, folvens illi quafi ufuram pecuniæ, quam in iter non inutiliter factum, impenderam, ea, inquam, narravi, quæ feni digna videbantur, quibus audiendis et vesperam et noctem daret.

v. 547. ——— placuit difcrimine functo
Qua defunctus erat, aufis juvenilibus, urbis
Hiftoriam percontari.] Placuit patri a me percontari, qui functus eram discrimine itineris aufis juvenilibus, hiftoriam urbis, qua hiftoria legenda, ille hoc discrimine defunctus erat. Hugenius interdum adeo obfcurus est, ut mul-

multa femel lecta non intellexerim. Vel fic tamen fieri potest, ut in hoc et aliis locis explicandis erraverim.

v. 573. ——— vincturum — Marce tuum et noftros feptemplice Marte leones.] Iter Hugenius Venetum incepit a. 1620. eoque foedus factum est, de quo gratulationem fcripfit D. Heinfius, in Orat. p. 49. fq. propterea equeftri honore ornatus, indignante vehementer P. Cunæo Epist. p. 184. — Annum 1613. ponit auctor *de l'Histoire de la Rep. de Venife*, T. X. p. 129.

v. 590. ——— ut illa meum recreasfet origo
Fluminis adfpectum, foli quod cedere Nilo
Dicitur ambigue et nondum ratione fubacta.] Hugen. in Itiner. Veneto MSS. *Il me print bien la mesme envie qu'à l'Empereur Tibere, qui, se trouvant au lac de Constanz, destina un jour à la source de cette grande rivière.* — Commentarii inftar fint verba Livini Meyeri El. I. VI. p. 118. *Dividat ut fluctus feptena per ostia Nilus — Ostia fex Istro, nec minus ampla patent. — Et potuit quondam feptena per ostia labi — Septima vicinum nunc facit unda lacum. — Magnaque pars vatum meminit feptemplicis Istri — Haud alio prifcis nomine notus erat.* — Tota hæc venuftisfimi poëtæ Elegia est in laudem Danubii. De numero oftiorum fententiæ veterum erant variæ, v. Schott. ad Pomp. Melam II. 1. 75. et Becman. Hift. Orb. p. 65. qui et ejusdem esfe fontis putabant, cujus Rhenum, ut Himerius Orat. p. 336. ἐκ μιᾶς πηγῆς ἀνίσχοντας vocat. Ubi v. Wernsdorf. Meliora de fonte docuit D. Eremita in Defcriptione Helvetiæ, p. 421.

vs. 598. ——— Si non mentitur fama, bicornes.] Serv. ad Virgil. VIII. Aen. 727. *Rhenus veteribus erat bicornis, quia per duos alveos fluit, per unum, qua Romanum imperium est; per alterum qua interluit Barbaros, ubi jam Vahal dicitur, et facit infulam Batavorum.* Cf. Ev. Ottonis Notit. Rerumpubl. cap. VI. p. 326. 327.

v. 610. Frigore durata noctei nive, figere ftanti
Non fineret glacies erecto corpore plantam.] *Noctei*, an-

antique pro *noctu*. Usus est etiam Cicero in Arateis. Edidi *figere*, pro *frigore*, quod carmen describentem Hugenium ex præcedenti *frigore* imprudentem repetiisse arbitror. Nec me tamen latet, quomodo *glacies non finit plantam* defendi possit, pro quo Liv. XXI. 37. scripsit *glacies non recipit vestigium*.

v. 628. ——— et in gyros verso vertigine viso — Monte.] Fere ut Cyclops de se apud Lucian. Dial. Fab. 14. ἅπαντα εὐθὺς ἐδόκει μοι περιφέρεσθαι πιόντι, καὶ τὸ σπήλαιον αὐτὸ ἀνεστρέφετο. Quæ ita reddit Secundus Poëm. p. 243. *Vix summo tetigi labro, et jam cuncta rotabant — Imaque pars antri visa suprema fuit.* — Hinc jocus Parasiti ambiguus apud Athen. lib. VI. p. 442. Παρὰ Πτολεμαίῳ ματτύης περιφερομένης, καὶ κατ' ἐκεῖνον ἐκλειπούσης. Πτολεμαῖε, ἔφη, πότερον ἐγὼ μεθύω, ἢ δοκεῖ μοι ταῦτα περιφέρεσθαι.

v. 638. ——— meo Comane Secundo — Clare lacus.] Comum est oppidum in regione Mediolanensi, ad lacum Larium, qui inde Comensis, hic Comanus dicitur, vulgo Lago de Como. In hunc lacum decidit fons, *cujus mira est natura*, ait Plinius lib. IV. Ep. 30. *Ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit decrescitque.* Ad q. l. Catan. observat: „ *Ab incolis etiam nunc cognomento Plinianus, fere eandem naturam servans.* — Jam patet, quare Hugenius lacum Romanum suo Secundo, Plinio, quem multum legebat, adeoque amabat, clarum appellet.

v. 646. ——— Casula est æternis nubibus, omni sq.] Casa Sancti Marci. *Pourtrait de l'habitation de Nova Zembla.* Hug. Itin. MSS.

v. 648. Hinc non tam facili certe quam fertur Averni
Descensus, tamen est lente descendere coeptum.] Hinc descendimus (descensu) non tam facili sq. Ne quis ergo legendum putet *Descensu*. Respexit autem Virgil. VI. Aen. 126. — *facilis descensus Averno.* Ut in v. 651. *Italiam Italiam jam nunc intrantibus.* Cujus nominis repetitio in re læta est suavissima, quia naturæ humanæ propria accidit. Græci, facta infelici cum Cy-

Cyro expeditione, post multos labores et pericula exantlata, prospecto mari, clamabant θάλαττα, θάλαττα. v. Xenoph. Anabas. IV. VII. §. 24. Virgil. III. Aen. 522. *Quum procul obscuros colles humilemque videmus — Italiam. Italiam primus conclamat Achates — Italiam læto socii clamore salutant.* Et J. Campanus, Episcopus Aprutinensis. — *Italia, Italia est rursus mihi dulcis in ore — Italiâ Italia fixa mihi est animo.*

v. 657. Quam tu, vel fremitu surgens Benace marino,
(His etiam nobis te fluctibus ostentabas
Quam subita excepit placido pellacia Ponto.] Eodem modo te nobis ostendebas, quo te descripsit Virgil. II. Georg. 160. — *Teque — Fluctibus et fremitu surgens Benace marino.* — „ Erat is lacus propter magnitudinem ventis ac procellis obnoxius non aliter ac mare. Ita Heynius. Rem accuratius descripsit Hugen. in MSS. Itin. „ *Le Lago di Garda (Benacus) est fort grand, à 35 miles de longueur, le largeur d'avantage que 14. Sur iceluy est la villette Sirmio, patrie de Catullus. Il est riche en poissons, notament en ceux, qu'ils apellent* Carpioni, *poissons rares et savoureux, qui ne se prenent, qu'en certain petit endroit du lac, et non autre part, qui est chose miraculeuse. Il se void cint, la plus part, des hautes montagnes d'Italie jusqu'a devers Tirol, dont il est dangereux à naviger, pour les tempestes soudaines, qui y naissent. J'y apprins la verité du vers de Virgile — fluctibus et fremitu surgens Benace marino — car, comme devant souper avions été nous promené en gondoles avec musique sur le lac, qui était doux et calme, autant qu'il se peut, il ne passa que deux petites heures, qu'il se leva la plus effroyable tempeste de tonnère, esclair, vent en pluy — dont ce beau calme se changea soudainement en vagues orageuses, comme une mer boreale. Mais aussi le temps se remit subitement vers la nuit.*" — Adde Burman. ad Lotich. III. X. 23.

v. 669. Gallica testatur post me victura papyrus.] Hugenium scripsisse iter legationis ad Venetos, jam apparebat ex Moment. Desult. p. 301. Hujus ille libelli, Gallico sermone compositi, nonnullis hominibus copiam faciebat. Exstat in illam rem elegans

gans carmen Casp. Barlæi Poëm. T. II. p. 129. Idemque in Epist. p. 150. meminit Hodoeporici, quod ſe maxima cum voluptate legiſse teſtatur. Eodem pertinet Epistola Hugenii adhuc, quantum equidem ſcam, inedita. „ *Vix a me diſcesſeras, Barlæe doctisſime, ut, oblata ſcribendi occaſione, manum calamo admovi, et parum tui memores Britannos, qua decere viſum est, comi ſeveritate compellavi, ut ſcilicet, quæ inter illum Regem et Rempublicam noſtram ſuper jure legationis nata contentio esſet, privato ſaltem tibi non obſtaret, cui cum republica nihil commune esſet, niſi quod in perſona Regis publice de omni gente meritus es, cujus ut illi literarum acerrimi vindices ac patroni, tam ſubito non recordarentur, fieri id, mea opinione, per Muſas non posſe. Quiscunque tandem rei futurus est eventus, nolui vel ambigere et ecquid mihi curæ res amicorum ſint, ut ſi forte opinionem meam Angli eluſerint, quod vix est ut metuam, eam certe, quam de amicitia mea te concepisſe confido, nunquam cauſa ſit cur amittas. Addo huic Epiſtolæ Italiam et Germaniam meam, id est, exiguam earum partem, qualem olim per negotium publicum, tunc mihi commisſum, feſtinanti luſtrare contigit. Rediit nunc demum ad me libellus iſte e manibus magnorum virorum, qui ut mea impenſa domi peregrinarentur, ſua quidam interesſe crediderunt, curioſi utique non locorum, quos adivimus, ſed earum maxime rerum, quæ ab illo rituum Aulicorum et Politicorum peritisſimo (Arsſenio) publice ubique circa occurſum virorum principum et circa hujusmodi receptionum ſolennia geſta fuerint. Te fortasſe regionum, viarum, opidorum hiſtoria magis afficiet. Me jucundisſimi itineris tanto magis meminisſe juvabit, ſi post innumeros alios, unam in eo paginam reperisſe te ſcivero, cujus gratia totum percurrisſe non poeniteat. Vale et me ama. Hag.* VII. *Jun.* CIϽIϽCXXV. *Tui amantisſimus.*

C. Huigens.

Ego hoc iter legi, et nonnulla excerpſi, quæ ad res illuſtrandas pertinere viderentur.

v. 674. O urbem! o de qua quidquid conamur, ineptum est Dicere.]

Nulla facile urbs tot tantisque ſcriptorum laudibus ornata est, quot et

et quantis Veneta. Notum est Sannazarii Epigramma, qui pro ſingulis verſibus, ſunt autem ſex, centenos aureos e Republica accepit. Conf. Burman. ad Lotich. III. X. 15. Ac neſcio an multa deinde elogia tam regiæ liberalitati accepta referri debeant. *Quid Heinſius gratulatione ſua voluerit*, dicit P. Cunæus Epist. p. 183. *haud obſcurum est. Non obtuſa pectora gerunt patres Antenoridæ. Quare qui Sannazario pro exiguo epigrammate grandem pecuniæ ſummam dederunt, plus oratori, quam poëtæ, deberi intelligent.* Et iſta liberalitas fere in proverbium abiit. v. Barl. Epist. p. 293. *Et forte Venetis laudem magnificentiæ invidistis, apud quos quantivis pretii fuit Sanazarius.* — Cæterum videntur multa elogia apud Pontanum in Atticis Bellar. pag. 994. ubi inter alia Phranzes Protoveſtiarius in Chronico ſuo: *Urbem ſapientem, imo ſapientiſſimam, quam non falſo alteram terram promisſionis nominaveris. De quo reor Prophetam dixiſſe Pſalm* 23. „ *Deus ſuper mare fundavit eam.*" Grandia verba! — Minus nota. quam Sanazarii, ſunt Epigrammata Friſchlini et alterius cujusdam. Friſchlinus igitur.

Aut Venus a Venetis ſibi fecit amabile nomen.
Aut Veneti Veneris nomen et omen habent.
Orta maris ſpuma fertur Venus. Et Venetorum
Si videas urbem, cernitur orta mari.
Jupiter est illi genitor: ſed Mars pater huic est.
Mulciberi conjux illa, ſed iſta Maris.
Complet amore ſui Venus omnia. Qui Venetam urbem
Non amat, hunc nunquam debet amare Venus.

v. Becman. Hiſtor. Orb. Terrar. p. 189. quo narrante, hic dialogus legitur ad D. Marci, inter Advenam et Senem.

A. Dic antique ſenex Venetæ quis conditor urbis?
S. Jupiter. A. unde Arces? S. Attica. A. Scorta? S. Venus.
A. Moenia? S. Neptunus. A. Nummi? S. Dido. A. Bellica? S. Mavors.
A. Artes? S. Mercurius. A. Jura? S. Minerva dedit.
Non mirum est, ſi alias inter caput exhibet urbes.
Quam tot coelestes compoſuere Deæ. ———

Pa-

Patres Reipublicæ olim noſtræ, erant ad illam valde attenti, ut tenaces etiam nonnullis viderentur. Sin, aliquo certe munusculo ditasſent auctorem hujus Epigrammatis in quo Hyperbolem venuſtati facile condono:

Tellurem fecere Dei, ſua litora Belgæ.
Immenſæque patet molis uterque labor.
Di vacuo ſparſas glomerarunt æthere terras,
Nil ubi quod coeptis posſit obesſe, fuit.
At Belgis maria et coelum naturaque rerum
Obſtitit; obſtantes hi domuere Deos.

Auctorem faciunt alii Pitcairnium, Huetium alii. v. Bosſcham ad H. Blairii Præcept. Rhet. T. I. p. 446. et Feithii Epiſtolas Belgicas.

v. 745. Murana Aegypti cineres fornace fluentes.] Inſula Murana, Venetiis vicina, celebrata erat officinis vitriariis. Quæri potest quos Hugenius cineres Aegypti dicat. Hujus ego rei nusquam explicationem reperi, niſi in Strabonis Geogr. L. XVI. p. 521. Ἤκουσα δ' ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρὰ τῶν ὑαλουργῶν, εἶναί τινα καὶ κατ' Αἴγυπτον ὑαλῖτιν γῆν, ἧς χωρὶς οὐχ' οἷόν τε τὰς πολυχρόους καὶ πολυτελεῖς κατασκευὰς ἀποτελεσθῆναι. Terra iſta ὑαλῖτις coquebatur, adeoque e fornace fluebat. Similis arena in aliis locis reperiebatur. v. Caſaub. ad l. l. Verba Taciti leguntur v. Hiſt. VII. *Circa Beli os collectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur.* — Coel. Rhodigin. Lect. Antiq. XXVII. p. 1534. ſcribit calices Ægyptios appellari vitreos.

v. 552. Ipſa pilam coeca manus hæc in pyxide merſit.] Pila veteribus quoque nota erat in ſuffragiis ferendis. v. Propert. IV. XI. 20. *In mea ſortita judicet osſa pila.* — De pilis Venetorum aureis et argenteis v. Octav. Ferrarii Opuſc. T. I. p. 577.

v. 754. ——— Servita pater.] Sarpius Paolo, Servita, homo doctisſimus, ſenator Venetus, auctor hiſtoriæ concilii Tridentini. Vitam ipſius deſcripſit Fulgentius. Studium veritatis, qua res

memoriæ prodebat, laudavit auctor Hiſtoriæ Venetæ T. X. p. 346. *Il dit la verité plus hardiment que beaucoup d' autres, remplissant avec courage le devoir de l'historien, qui consiste non seulement à ne rien dire que de vrai, mais à oser dire tout ce qui est vrai.* Conf. Kleſek. in Biblioth. Erudit. Præcoc. p. 332.

v. 758. Vis erat hæc; blandoque ſeni, dum publica tractat, Extera displicuit commercia crimen haberi.] Indicat Hugenius Romana formula *vis hæc quidem est*, quanto ipſi fuerit dolori, quod Servitam convenire non potuerit. Sed noverat Servita fidem civium ſuorum, quam in rebus publicis extero habebant nullam. Igitur Hugenium admittere non auſus est, ne crimini ſibi verteretur commercium Hollandi, eo potisſimum tempore, quo tabulas publicas tractabat. Idem ſuo tempore nobilium Venetorum ingenium deſcribit G. N. Heerkens Notab. I. p. 7. *Nobilium inacceſſa ſocietas. Extraneos advenas in domibus ſuis videre non audent. Legum moroſitatem in cauſa esſe fama omnibus compertum. Sed ab exteri hominis commercio periculum Reipublicæ latores harum legum metuisſe, quis credit?*

v. 786. —— inſcendat cochleas impune quaternas.] Hoc est, gradus in morem cochleæ retortos. De altisſima turri, omnia nota ſunt. Hugenius in Itin. MSS. hæc addidit: *Le Roy de Boheme, y présent, eut la curiosité de monter au sommet, ou je trouvay sa jarretière, qu'il y pendit, pour mémoire, que ceux de la ville crurent si agreable, qu'ils la firent couvrir d'un rets de cuivre.*

v. 800. Ut pueris placeas et declamatio fias.] Ex Juvenali Sat. X. 167. — *I demens et ſævas curre per Alpes — Ut pueris placeas et declamatio fias.* — Declamatio est argumentum declamationis. Aliud est *fabula esſe*, ut Græcies διήγημα. Eo locum Juvenalis non retulerim cum Wernsdorff. ad Himer. V. p. 129. — Potest autem hoc accidere hominibus frequenti veterum lectione imbutis, ut interdum integros eorum verſus pro ſuis ponant. Hugenio ſi hic in mentem venisſet, esſe verba Juvenalis, in margine non minus monuisſet, quam monuit de Ovidia-

diano ad vs. 678. — Conf. Broukhuf. ad Sannazar. et Burm. ad Lotich. p. 662.

v. 801. Scilicet e fummis apluftria fq.] Quafi fcilicet Batavo, qui vel apluftre de malo dubiæ et ambiguæ navis tollere non timeat, dedecori esfet, fi fummum turris immotæ cacumen confcendere non auderet.

v. 820. Cuique fuo nomen merito est patris ara Lyæi.] Intelligit Bacharacum, oppidulum in Palatinatu Rheni, nobile vino præftantisfimo.

v. 823. ——— Grinnes falvete propinqui.] Urbis meminit Tacitus V. Hift. 19. Putant esfe noftrum *Renen.* v. Grotius de Antiq. R. Batav. p. 43. et Alting. Not. Germ. Infer. T. I.

v. 835. ——— convivia Germanorum.] Quæ tunc temporis multo inprimis vino celebrabantur, ut convivæ etiam inviti bibere cogerentur. Hugenio placebat illud Sophoclis Fragm. p. 113. *τὸ πρὸς βίαν πιεῖν — ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ.* Ea convivia metuebat J. Doufa ne filio nocerent: Carm. I. *Haud equidem fecurus eram, fed et anxia pro te — Pæne metu ac curis exanimata parens — Obrueret ne te decumanis Teuto culullis — Neve malum Belgæ pocla Alemanna darent.* Acrius in iftum morem invehitur Campanus Epist. VI. p. 347. et Barclaius Euphorm. p. 313.

v. 844. ——— fummisque e nubibus orta — Alpigenas.] Hujus generis funt verfus Italici, quos Alpes transgrediens effudit.

Giunto con ftanchi pasfi
Alla cima de fasfi,
Ove il piu chiaro giorno
Fa nuvole d' intorno
Oue i diletti horrori
Le nevi fono fiori,
Emmi vicino al cielo,

Disſi nel mesſo gelo
Fa tu ch' in cielo ſiedi
Padre del Ciel ſignori
Ch' accostandone i piecli
Non n' allontane il coro.

v. 859. Attulit huic aliquid mea ſymbola Mauſolæo.] Oblata ab Heinſio Grotioque carmina minus placuisſe videntur iis, quorum cura res erat demandata; igitur Hugenii inſcriptionem prætulerunt. Legitur ea in Hiſtoria urbis Delficæ p. 296. auctor vero non nominatur.

D. O. M. et Aeternæ Memoriæ

Gulielmi Nasſovii, ſupremi Arauſionenſium Principis, patris patriæ, qui Belgii fortunis ſuas posthabuit et ſuorum: Validisſimos exercitus ære plurimum privato bis conſcripſit, bis induxit ordinum auſpiciis: Hiſpaniæ tyrannidem propulit: veræ Religionis cultum, avitas Patriæ leges revocavit, reſtituit. Ipſam denique libertatem tantum non asſertam Mauritio Principi, paternæ virtutis hæredi filio ſtabiliendam reliquit, Herois vere pii, prudentis, invicti: Quem Philippus Secundus, Hiſpan. rex, ille Europæ timor, timuit, non domuit, non terruit, ſed emto percusſore, fraude nefanda ſuſtulit. Foederat. Belg. Provinc. perenne Meritor. Monum. P. C. C.

AN-

ANNOTATIO IN SERMONES
CONSTANTINI HUGENII.

LIBER ALTER.

v. 12. ——— Thorio, quo candidiorem
Terra fenem non vidit, ego nil doctius.] Horat. I. Serm. V. — *animæ quales neque candidiores — Terra tulit.* — Hugenius Raph. Thorium magni faciebat. v. Mom. Defult. p. 311. 321. 322., ob candorem et doctrinam. Adde Cafaub. Epist. p. 380. Homo lepidi ingenii, fcripfit hymnum Tabaci, aliaque. Quam hilaris conviva esfet, narravit Gasfendus in vita Peirescii.

v. 16. Drebbelium vidi tantum, qui fronte Batavum
Agricolam, fermone fophum Samiumque referret
Et Siculum.] Ovid. *Virgilium vidi tantum.* — Drebbelius eo tempore Londini erat, Regique a Mechanicis, ut eum appellat Gasfendus in Vit. Peirefcii p. 115. Paucos latent Drebbelii merita de omni re Mechanica. Sed latuerunt Mencken. in Charlataneria Eruditorum, inepto libello. Is ibi p. 161. illum nominat Opticum quendam jactabundum, conjecturam faciens ex epiftola Drebbelii quadam, ad amicum jocofe fcripta, nec unquam fufpicantis fore ut hæc epiftola aliquando ederetur. Colomefius edidit, adjectam cum aliis epiftolis Clementi fuo p. 232. Colomefius eam petiit ex Hegenitii Itiner. Holland. p. 72. *Alcmaria dedit nobis Cornelium van Drebbel, peritisfimum Naturæ myftam et amafium — Sed de Drebbelio non posfum, quin heic apponam, quod ipfe ad amicum fuum Ifebrandum a Rietwick ante paucos annos Alcmariam litteris perfcripfit. Quas e fermone Belgico, quo ille utitur, in Latinum κατὰ πόδα fidelisfime transfluli, lectu ut arbitror haut injocundas, ex queis et viri circa res naturales peritia magis emineat, admiranda cunctis, æmulanda forte nemini.* — Hæc He-

Hegenitius. — Cæterum, teſte Hugenio, Drebbelius erat multo ingenioſior quam videbatur. Hinc forte et ex morum ſimplicitate natus est error, fuisſe eum rusticum. Formeum, hoc ſcribentem, refellunt v. Eynden et v. d. Willigen in Hiſt. Pictur. Holland. T. I. p. 217. Cappellus in T. V. Disput. Inſtitut. Regii, Clasſis I. oſtendisſe dicitur, majus in Drebbelio fuisſe ingenium, quam doctrinam.

v. 26. —— adſcitis Basſo, Thulio et Joachimo (Caronti hunc ſucceſſorem Respublica miſit.)] Didericus Bas, conſul Amſtelodamenſis, Thulius, Tuyl van Serooskerken, Joachimus, Albertus Joachimi van Oedckenskerken. — De legatis variare videntur ſententiæ hiſtoricorum noſtrorum. Videte modo Wagenarium. Hugenius narrat Caronti, (Noël de Caron,) qui triginta quatuor annos legatus Londini degerat, ſucceſſisſe Joachimum.

v. 28. —— qua pridem parte.] In numero ſcribarum adjuvit legatos, ut vs. 3.

v. 95. Prorſum improviſe titulo me illuſtrat equeſtri.] Regis ipſius mandatum a gente Hugeniana ſervatum est, ſignatum a. d. VII. Octob. 1622. cujus hoc est exemplum:

Jacobus Dei gratia magnæ Britanniæ, Franciæ et Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor & cæt. omnibus, quorum ſcire interest, ſalutem.

Etſi virtus ipſa idonea ſibi ſit merces, et infra eam cenſeri debeat, quidquid potest retribui, Principes tamen decet, ubi eam invenerint, magni facere, bonorum virorum merita ornantes præmiis, cæterosque hac invitantes illecebra, ad imitationis gloriam: quo in genere quum ſubditorum cura nobis fuerit præcipua, tum neque exteros negleximus, quos perſpecta nobis fides aut induſtria commendavit, unde et hoc tempore viſum nobis est pro poteſtate noſtra Regia, unde inferiores tituli velut rivi e fonte dimanant, Virum Clarisſimum, Conſtantinum Huygens, nobilitate et equeſtri dignitate ornare, tum propter Amplisſimi viri patris ejus jam olim de nobis bene meriti, memoriam, tum propter paternas in ſi-

filio virtutes et bonam, quam de ejus in nos ſtudio ſpem concepimus: idque ut omnibus compertum cognitumque ſit, atque ut Equitis Aurati numero et loco, ita ut æquum est, ubique locorum habeatur et cenſeatur, hiſce eum literis palam teſtamur ac profitemur (adeoque etiam id ipſum hoc diplomate noſtro confirmatum esſe volumus) prænominatum Conſtantinum Huygens Equestris ordinis dignitate, honore et titulo, ultro a nobis donatum atque inſignitum esſe: ideoque illud ab omnibus Regiæ noſtræ dignitati atque authoritati tum ipſius meritis deberi, ut eo numero et loco apud populares ſuos et usquam alibi, perinde habeatur, ac nos quosvis alios præſtantes viros ſimili honore ab aliis Regibus ornatos et condecoratos ſumus habituri, atque inſuper ut benevolentiæ in illum noſtræ majus teſtimonium exſtet, ad liberos ſuos et poſteros eorum, utriusque ſexus, veræ et legitimæ nobilitatis jus propagamus, ſerie interminata, et gentilitia ejus inſignia, quibus hactenus uſus fuit, et in margine depinguntur, ipſo etiam diplomate probamus et confirmamus. Quorum omnium fides ut certius conſtet, hoc noſtrum diploma manu noſtra ſignatum, magno Angliæ ſigillo volumus muniri. Actum apud palatium noſtrum Westmonaſterii ſeptimo die Octobris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſecundo, Regni vero noſtri Magnæ Britanniæ & cæt, viceſimo.

(ſign.) Jacobus R.

— Caron.

v. 79. ——— o qui tu gladio victor periisſe.] Periit ſecuri percusſus, rerum potito Cromwello.

v. 105. ——— aut ſenſi aut ſentire videbar.] Virg. VI. Aen. 454. *Aut videt aut vidisſe putat.* Ovid. II. Met. 322. *Etſi non cecidit, potuit cecidisſe videri.*

v. 123. ——— de poſteriore — Hugenii peram.] Clamor oritur ſarcinam, quam famulus in agmine extremo vectus equo post ſe habebat, decidisſe, quamvis et nuper et additis minis vetuisſem, ne oneris corium ſolveret equove deponeret.

v. 166. In vili vitio averfas confluxerit ædes.] Credo auctorem velle, domum iftam improbis claudi, quafi infcriptum esfet, μηδὲν εἰσίτω κακόν, cujus tituli ambiguitas Diogeni locum dedit jocandi ap. D. Laërt. Vit. Phil. L. VI. Ita ipfe Hugenius II. vs. 287. *Non averfa domus mihi fe, fed plena, negavit.*

v. 176. Novem verfus, libello jam defcripto inferuit Hugenius. Quæ de vidua Raleighii narrat, mire conveniunt cum moribus Corneliæ, matris Gracchorum.

v. 185. —— Epulis.] Epulas vocat dulcisfimos fermones, qua fignificatione Græcis inprimis vox frequentatur. Theophrast. Char. Eth. VIII. δοκῶ μοί σε εὐωχήσειν καινῶν λόγων. Aelian. v. H. III. 1. de avibus quæ ἑστιῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς. Id. X. 9. Ariftoph. in Gerytade apud Athen. III. p. 388. χόρταζε τῶν μονῳδιῶν. Lucian. in Philopf. T. III. p. 603. οἱ δὲ ἄσμενοι, ἐλευθερίας λαβόμενοι, εἱστίων, ὡς τὸ εἰκὸς, αὐτοὺς, καὶ ἐνεφοροῦντο τῶν ψευσμάτων. Ita Appulej. I. Metam. p. 81. *folis fabulis coenatus.* Fifcher. ad l. l. Theophrasti adduxit Cicer. Top. V. — *avidum hominem ad has dicendi epulas recepi.*

v. 191. Threïcio, dicas, animatis pollice chordis.] Elegans ufus est vocis *animare;* de quo nos alibi plura. Ita etiam Græci. Athen. l. IV. p. 179. fervavit hæc veteris Comici. λωτὸς ἐν πλευροῖσιν ἄψυχος παγεὶς — ἔμπνουν ἀνίει μοῦσαν.

v. 236. Enthea vis animæ, quantum de carcere præ te
Jam foluenda, vales! quantum præfaga futuri
Affinis vero es!] Vis animæ fe ipfa fuperat, κρεῖττων αὑτῆς. Cicero Senect. c. 22. *dormientium animi maxime declarant divinitatem fuam. Multa enim, cum remisfi et liberi funt, futura profpiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri fint, cum fe plane corporis vinculis relaxaverint.* — Credebant veteres, homines morti proximos, futura posfe prædicere. Legimus exempla apud Homerum Il. XXII. vs. 359. ubi Schol. ἐπεὶ αἱ ψυχαὶ ἐξερχόμεναι μαντικαὶ γίνονται. Virg. X. Aen. 743. Elegans est oratio P. Cunæi in Obit. B. Vul-

Vulcanii p. 405. ep. Cun. — *Itaque profecto jam ferme adducor in hanc opinionem, verum illud esse, quod credidit vetustas, esse scilicet in homine quiddam præsentiens atque divinans tunc, cum mors in propinquo est, et animus noster propediem onerosi corporis ergastulo abiturus, ad coelum suum et cognata sidera iter parat. Jam tum enim, etiam in terris adhuc, frui divinitate sua incipit, et majore quadam vi agitur.*

v. 241. —— depositum coelesti — Restituit coeleste Patri.] Secundum philosophiam veterum. Dii nobis vitam et omnia credunt, tamquam depositum, sine foenore. Eurip. Phoeniss. v. 559. *οὔτοι τὰ χρήματ' ἴδια κέκτηνται βροτοὶ — τὰ τῶν θεῶν δ' ἔχοντες ἐπιμελούμεθα. — Ὅταν δὲ χρῄζωσ' αὔτ' ἀφαιροῦνται πάλιν.* Albinov. I. 369. *Vita data est utenda, data est sine foenere nobis — Mutua, nec certa persoluenda die.* Adde Lucian. Necyom. p. 118. Hinc apud Latinos frequens est *vitam reddere*. v. Gronov. ad Senec. Oedip. vs. 271. Ad hanc rationem Horat. I. 24. 11. equidem explicaverim.

Tu frustra pius, heu! non ita creditum
Poscis Quinctilium Deos.

Tu poscis Quinctilium, a Diis quippe non ita tibi creditum putans, ut tam cito aufferrent. — In longiori tamen vita, tamquam foenus aliquod, *ἀποτελοῦμεθα τὰ τοῦ γήρως*, quod est apud Xenoph. Apol. Socratis. Hinc Aeschines, ut dicitur, auctor Dialogi de Morte §. 9. *κἂν μή τις θᾶττον, ὡς χρέος ἀποδιδῷ τὸ ζῆν, ὡς ὀβολοστάτις, ἡ Φύσις ἐπιστᾶσα ἐνεχυράζει, τοῦτο μὲν ὄψιν, τοῦτο δὲ ἀκοήν.*

v. 276. —— coelo si dicere fas est,
Non tempestivum nec in ulla ætate futurum.] Collocarunt Mauritium in coelo. Debuerat ille maxime serus in coelum redire. Nota sunt similia veterum de principibus suis vota. Horat. I. 2. 45. — *Serus in coelum redeas, diuque — Lætus intersis populo.* Et ex eo Claudian. III. Cons. Honor. 109.

v. 334. —— qua vix sibi docta canori
Gallia quid patitur conferri.] Non dissimulat

 in

in Hofwyck p. 324. hoc opus ſibi valde placere. *Somwylen heb ik iet gebaert uit hoofd of handen — Dat teegen d' opſpraek moght: en daar weet Sion van — En dien ik t' heiligh lied, heb na gebootst, Godſſ man.*

v. 349. ——— Reſolvi — Arte mea vel fraude dolos, quod in hoſte receptum est.] Quod contra hoſtem probatur. Virg. II. Aen. 390. — *dolus an virtus? quis in hoſte requiret?*

v. 364. Clara meum Barelæa decus.] Hæc erat neque ſoror neque filia Caſparis Barlæi, quod perperam ſcripſerunt nonnulli Lexicorum auctores. Quo minus eſſe potuerit filia, obſtat ætas liberorum Barlæi, quo tempore Hugenius Barelæam duxit, duxit autem a. 1626. v. Barl. Epist. p. 120. Laudat Hugenius uxorem ſuam a cognatione, et a cenſu. Jam Barlæus erat genere nec nobili nec divite, ſaltem ad Hugenianum. Quid? quod in Carminibus Barlæi, Hugenii, inque eorum et aliorum Epiſtolis ne minimum quidem hujus cognationis apparet veſtigium. Barlæus certe Hugenium alicubi fratrem appellasſet. Barlæus Lib. III. Heroic. p. 160—167. ſcripſit Epithalamium Hugenio Barelæam ducenti, unde videmus eam fuisſe Amſtelædamenſem aut Amſtelædami tunc habitasſe. Idem, mortua puerperio a. 1637. Barelæa, Hugenium conſolatus est Epist. p. 701. Nusquam cognationis indicium. Atque hæc fere responderam Hasſelto, Jcto Amſtelædamenſi, me per epiſtolam roganti, ecqua in Reliquiis MSS. Hugenianis esſent documenta, Caſpari Barlæo cum Hugenio intercesſisſe cognationem; hæc, inquam, responderam, et ſimul, me ignorare tamen, quinam Suſannæ Barelææ parentes fuisſent. Hoc ita expedivit vir doctisſimus. — Vidit nempe inſignia gentis Barlææ, in quibus ut nulla mentio erat Caſparis Barlæi, ita erat Suſannæ, uxoris Conſtantini Hugenii. Suſannæ nomen legitur inter nomina liberorum Jani Henrici f. Barlæi, et Jacominæ Hoon. Sorores Suſannæ erant nuptæ viris genere et honoribus illuſtrisſimis, quare gens Barlæa cognatione pertinebat ad gentes Dorpiam, Erpiam, Godinam, Wasſenaariam, alias. Scripſit W. J. C. Hasſeltus elegantem et eruditam disputationem de Suſanna Barlæa, oſtendens, iisdem fere, quibus ego oſtendi, ar-

argumentis, eam non fuisse cognatam Casparis Barlæi; quibus argumentis quum jam insignia gentis accesserint, res dubitari amplius non poterit. Legitur ista disputatio in Miscell. Exercit. Litt. Patr. (Letteroef.) N°. IV. a. MDCCCXXI.

v. 370. ——— lapidem quæ singula possint,
Me, qui, non lapidem poterant non juncta movere?]
Quomodo illa conjuncta non moverent me, qui non lapis essem. *Lapis* pro *stupido* ap. Terent. Hecyr. II. 1. Aristoph. Nub. 1204. Me *non lapidem*, ut Græci, *οὐ λίθον.* v. Interpr. ad Thucyd. I. *τὴν τῶν γεφύρων οὐ διαλύσιν.* et Gronov. Emend. in Suid. p. 102. Ovid. I. Met. 621. *Si — Vacca negaretur, poterat non vacca videri.*

v. 386. Alteri utrique emptas placuit,] Placuit utrique ædes emere, quas possederat mater Nassavidum. *Alteri utrique*, pro *utrique*.

v. 403. Digna superstitibus visa est augustior. Illam
Ingenio meditata suo, qua parte probatur
Maxime, ad extremum perduxit sedula culmen.] Si domus splendidior esset, tum demum uxori meæ digna visa fuit nobis superstitibus. Igitur suo ipsa ingenio eam rationem excogitavit, qua pars domus anterior de novo ædificari voluerit. Domum suam descripsit in Moment. Desult. p. 237. Adde Epist. Barlæi p. 561.

v. 407. Et meus ad Bredam magno molimine Princeps
Fulminat.] Virgil. IV. Georg. 560.
Cæsar dum magnus ad altum — Fulminat Euphratem bello.

v. 445. ——— nisi paulo, bis quasi mater
Arctius amplexa es natum.] Mater, quæ suos ipsa infantes suo lacte non alit, non justa mater est, sed dimidiata. Suavissime Catsius nostras. *Een die haar kinders baart is moeder voor een deel — Maar die haar kinders zoogt, is moeder voor*

voor t' geheel. A. Gellius N. A. XII. 1. fervavit gravisfimam Favorini philofophi de hac re disputationem, Latine ab ipfo perfcriptam. *Oro te*, inquit, *mulier, fine eam totam integram esfe matrem filii fui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisfe ac ftatim ab fefe abjecisfe.* — Cætera lectu funt dignisfima. Adde Mambrini Rofæi Inftitut. Principis p. 64 fq.

v. 447. Nec libet occultis ftorgen adfcribere caufis.] Fronto in Epist. T. I. p. 93. *φιλοστοργία vero nefcio an Romana; quippe qui nihil minus in tota mea vita Romæ reperi, quam hominem fincere φιλόστοργον. Ut putem, quia reapfe nemo fit Romæ φιλόστοργος, ne nomen quidem huic virtuti esfe Romanum.* Id. p. 132. *Frugi, probus, philoftorgus, cujus rei nomen apud Romanos nullum est.*

v. 472. ——— fi quid daret hora, quod hora — Sæpe negat.] Ad hoc fere tempus pertinet beneficium Hugenio a Ludovico XIII. concesfum. Miror adeo hoc ab eo fuisfe prætermisfum. Epiftola regis hæc fuit:

Aujourdhui quatrième Febvrier, Mil six cent quarante trois, le Roi etant a Paris, bien memoratif des assurances qui lui ont été donées par une quantité de Seigneurs et Gentils hommes François, de l'affection qu'a toujours temoigné avoir a son service, son bien amé Constantin Huygens, Chevallier, Seigneur de Zulichem, Monickeland, Sécretaire et Conseiller de son tres cher cousin le Prince d'Orange, et la quelle il continua a faire cognoitre aux occasions qui s'en presentent, mesme par le violant desir qu'il a de convoyer et obliger ses successeurs d'y accroitre plutôt que de la diminuer, Sa Majesté pour les considerations susdites, a cru ne pouvoir plus favorablement recognoitre sa bonne intention qu'en l'honorant d'une marque d'honneur qui passe à sa posterité, afin de l'engager à comparer à son imitation une devotion tres particuliere au bien et a la gloire de son estat, sa dite Majesté lui permet de porter à l'avenir dans ses armoiries, une fleur de lys d'or sur azur pose sur le tout d'icelles, pour de la dite armoyrie ainsi qu'elle est cy dessoubt empreinte et figurée.

Jouir

Jouir et user par le dit Sieur Huygens, ses enfants et descendants en ligne droite a perpetuité et icelle faire mettre apposée et eslever en leurs maisons et autres lieux qu'ils adviseront bon être, tout ainsi qu'ont accoutumé de faire les autres favorizés de pareilles concessions.

Et ceci vertu du présent Brevet qu'icille sa Majesté voult être enregistré par tout ou besoing sera, et sur icelluy expedier toutes lettres necessaires si besoing est, l'ayaat à cette fin voulu signer de sa main et être contresigné par moi Conseiller en son Conseil d'estat et Sécretaire de ses Commandements.

(Signé) Louis.

— A. Mesnu.

v. 478. Sic focium Conftantinum fimulatque petenti
Conftituit patri, non olim forte futurum,
Sed vix prima femel tironem caftra fecutum.] Non qui olim forte, fi res ita ferre videretur, aut ipfe ætate esfet maturior, patri fuccederet, fed tunc ftatim, quamvis esfet tiro, et femel caftrà fecutus.

v. 501. Omnibus ut fræno, nunquam calcaribus illi
Esfet opus.] Cicero III. Orat. cap. 9. *dicebat Ifocrates, fe calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti folere.*

Conftantinum filium Hugenii, a Mufis non fuisfe alienum, teftatur Barl. Epist. p. 830. 834. et 934. — Pinxit etiam patris effigiem, in quem legimus carmen Vondelii T. I. (Korenbloemen.) Poëm. Belg.

v. 522. Proximus a primo, cujus male nomen iniquis
Hexametris, toto vix gloria clauditur orbe.] Poëtæ fæpe nomina offendunt, quæ carminis leges non admittere videntur. Martial. IX. Ep. 12. *Nomen nobile, molle delicatum — Verfu dicere non rudi volebam — Sed tu fyllaba contumax repugnas.* — Atque id in iis præcipue nominibus accidit, quæ cuique funt barbara. Plinius fcribebat amico fuo Caninio VIII. Ep. IV. *Nonnullus et in illo labor, ut barbara et fera nomina,* in-

inprimis Regis ipsius, Græcis versibus non resultent. — Jam Caninius bellum Dacicum esset canturus. Sed et in Græco et heroico carmine major est libertas nominum emolliendorum vel paululum mutandorum, quod etiam fecisse Virgilium videmus. Atque hoc omnino omnes Romani faciebant. v. Petit. Dissert. de Amazon. p. 333. Et tamen ipsi Græci interdum hac difficultate laborabant. Exstat testimonium Archestrati apud Athen. VII. p. 37.

Ἰχθύος αὐξηθέντος, ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν.

Gadsoni Koopmansio in Petreïde hoc minus fuit observatum. Illius versus sunt v. 28. *Soltikof et Shepeleff, atque inclytus ense Kurakin — Et Dolgoruki et Stresneff.* — Hæc et similia facile ad sonum Romanum potuissent accommodari. Infinita hujus rei exstant exempla apud poëtas, historicos et geographos, quo sæpe accidit ut hominum et regionum nomina corrupta sint, et eadem pro diversis habeantur. De quo nos alibi plura. Cæterum loca sunt, ubi non dedecet profiteri, nominum difficultatem versui obstare. Nimis quidem lusui indulsit Boilavus in Epistola IV. ad regem Ludovicum, quum is Rhenum trajecisset. — *Des villes que tu prends les noms durs et barbares — N'offrent de toutes parts que syllabes bizarres. — Et l'oreille effrayée, il faut depuis l'Issel — Pour trouver un beau mot courir jusqu'au Texel.* — Atque ita ridiculi causa varia etiam nomina, Gallis auribus dura, congessit. Sed hoc ipsum quomodo graviter et Latine fieri possit, ostendit Liv. Meyerus L. IV. El. XI. quam ad epistolam Boilavii formavit. Meyerus igitur: — *Oppida sic Marti cessere Batavica Gallo — Nostraque tunc primum lilia vidit hiems. — Swolla cadit, Campumque, Ultrajectumque, nec alti — Moenia defendunt vix adeunda lacus. — Apta quidem vinci. Sed non tamen apta referri — Nomina, hyperboreo barbariora gelu.* — Longe profecto melius quam Daugierius, qui urbium nomina inepte cumulavit in Carm. p. 16. Hoc cavit Secundus Nostras Epist. II. 2. *In quorum subiere locum Baldique Cynique — Atque alii, quorum tot barbara nomina Musam — Enarrare piget Latiam.* — Sed Græcis equidem omnino abstineam. Fecit tamen Lampsonius in Typo vitæ humanæ ex Cebe-

bete. *Hæc Eudæmoniæ, Latio nam dicere versus — Nomine me prohibet.* —

Sed Hugenius nomen Christiani tamen in Hexametro uti potuisset, facto trisyllabo, ut Licentius in Carm. ad Augustin. 142. *Sæclorum Christiana fides.* Conf. Daum. ad Catonis Disticha IV. IV. et Claver. ad Claudian. I. Ruf. 51. Ita recentiores etiam *meum* et *tuum* fecerunt unius syllabæ, ut Sedulius et alii. Hinc Epigrammata nonnulla in T. II. Anthologiæ Burmannianæ possint emendari, si tamen operæ esset pretium. An penultima *Christianus* corripi possit, non definio, quia non est a Christius. Græci quidem corripiunt in Juliănus, Oppiănus, Claudiănus et aliis.

v. 528. Tecum vivere amem, tecum finire seniles
Hosce dies.] Horat. III. Od. 9. 24. *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.* Christianus multum diuque Parisiis vixit, et postremo quidem tempore ab *ao.* 1666 ad a. 1681.

v. 547. Dum coeli rota sq.] Elegans ratio, qua, veteres imitatus, Ovidium etiam in carmine de æterna poëtarum laude, tamdiu nomen Christiani superstes futurum auguratur, quamdiu res sint futuræ, ingenio illius vel inventæ vel illustratæ. — Invenit simplicem et elegantem machinam, quæ motus planetarum ex sententia Copernici referebat. In cæteris versibus Hugenius respexit ad scripta filii sui de Horologio Oscillatorio, de Circuli magnitudine et aliis.

v. 549. Dum Saturnium ab aurito, te vindice, probro
Purum sidus erit.] Ante Hugenium Astrologi causas reddere non potuerunt miræ faciei, quam Saturnus per tubos tunc usitatos spectantibus præbebat. Hoc videmus ex libro Hevelii *de Saturni nativa facie*, et Riccioli *Astronomia Reformata.* Hinc a diversis formis, quas ostendebat, dicebatur Saturnus *Elliptico-ansatus*, *Sphærico-ansatus*, et similibus nominibus. Hoc tandem probro, quasi planeta ansis, sive auribus adeo esset deformis, probro igitur aurito, Hugenius Saturnum liberavit, docens in Systemate Saturnino, purum esse sidus

dus et liberum. Hinc N. Heinf. Poëm. p. 206. ad Hugenium. *Falcifero tenebrosa seni dum vincula laxas — Sæcla tuum nobis aurea munus erunt.* — Libet huc addere verba Jacobi Odei in Orat. de Novis per Obferv. Coeleft. Recent. ævi inventis p. 36. *Jam inde ab anno* 1610. *Galilæus Saturnum non simplici orbe lucentem, sed veluti tergeminum conspexit. Et Hugenius, telescopiis ad majorem perfectionem redactis, fallacis imaginis causam A.* 1655. *perspexit, amplissimumque esse annulum demonstravit, Saturnum undique cingentem, cujus diameter ad diametrum Saturni est, uti sunt* 9 *ad* 4, *cujusque tanta est a Saturno distantia, quanta est ejusdem latitudo.* —

v. 564. ——— nos nulla cui fraude notatos.] *Cui*, pro *alicui*, ut vs. 567. fi quam, cave numinis iram.

v. 570. ——— Spartam tu quam bene nactus es, orna.] Rem narrat Wagenarius T. XV. p. 256. fq.

v. 621. Hanc ego fic peperi, ut non obftetricis egenum
Viderit ulla dies.] Ovid. III. 1. 23. Triftium. utitur *parens*, pro libri auctore. Ita alibi — *de me sine matre creata carmina.* Conf. Cafaub. ad Athen. I. 1. p. 3. et Cuper. Apoth. Homeri p. 48. — Hugenius hoc Vitaulium fuum eximie laudavit carmine Belgico, et inauguratus est in Moment. p. 56. Eo respexerunt Santenius in Carm. Juvenil. p. 32. *Catsius hic curas vitatque Hugenius aulam — Et canit agrestes dignus uterque Lares.* Burman. Poëm. p. 59. *Sylvarum latebras, fugiens Hugenius aulam — Ornavit Batava carminis arte potens.*

v. 630. Adde palatiolum lacui, (quafi cantharus undæ
Immerfus, fi convivis placet algida Bacchi
Potio.)] Domus ftabat in lacu medio et a meridie fpectantibus præbebat fpeciem canthari, quem majores noftri frigidario immergere folebant, fi frigida Bacchi potio illis placeret. Frigidarium defcribfit H. Grotius Epigr. II. p. 312. *Nec mihi sit Rheno Bacchum mi-*

miscere nec imbres — Hunc amo quæ gelidum dat mihi lympha merum. — Hanc esse hujus loci sententiam, ostendit Hugenius in Carm. Belg. T. I. p. 378. *T' huys moet in t' waeter staen, en flotsgewys staen proncken — Gelyk een steenen flesch in t' koelvat werdt gesonken.* Et Graswinkel ad Hugen. ibidem p. 301. — *Langer als uw slot zal duyren — Slot, als men van t' zuyden kyckt — dat een flesch in t' koelvat lyckt.*

v. 663. —— si ætatem video, vix ille senilem
Attigerat, si quot capiti victoria palmas
Nexuit, annorum multos impleverat annos.] Martial. X. Epigr. 53. *Invida quam Lachesis raptum trieteride nona — Dum numerat palmas, credidit esse senem.* Conf. Plin. Ep. V. 16. Burm. ad Lotich. p. 270. et Interp. ad Albinov. El. I. v. 447. Martiali forte debet acumen Epigrammatis Græci, Leo Allatius, quod legi apud Leonard. Augustinum T. I. p. 26. testatur Bilderdykius in Carm. Sparsis T. I. p. 84.

Vrouw Klotho nam den draad, dien haar heur zuster gaf,
En mat Timanthes roem in plaatse van zijn jaren:
De grimmige Atropos beschouwde 't, sneed hem af,
En riep: dit enkle mensch verbruikt hier al ons garen.

v. 731. Artibus his molles aditus et tempora fandi
Commoda venanti.] Virg. IV. Aen. 423. *Sola viri molles aditus et tempora noras.* Leviora nonnullis hæc annotatu videri possint. Non visa sunt aliis recentiorum interpretibus. Sed tutius tamen his inposterum mihi abstinendum esse judico.

v. 735. Amplior instabat peregre labor.] Iter Hugenii Arausiense, et causa legationis exposita est in libro Gallico, cujus hæc inscriptio: *Relation de ce qui s'est passé au restablissement d'Orange, par de Chambrun, Ministre de la parole de Dieu à Orange.* Orange 1666.

v. 745. —— propugnacula castro — Diruta.] Galli, an-

antequam Arausionem nobis redderent, optima quæque munimenta devastarunt. In hunc furorem carmen gravissimum scripsit Broukhus. II. Silv. I. *Celsa sed Auriaci stant propugnacula muri — Hæc radios hebetant, sol generose, tuos. — Disjice magnanima pugnacia moenia dextra — Sentiat ultorem plebs malesana suum.*

v. 774. Tantum non totos quatuor sudavimus annos] Hugenius tunc in Gallia fuit tres annos et sex menses, et hoc tempus exsilii sui vocare solebat. Chambrun. p. 61.

v. 778. Limpidi aquæ fontes.] *Fontainebleau.* Baud. Carm. p. 670. vocat *Callirrhoen*, Gassendus in Vit. Peirescii *Bellaqueum.* Alii aliter. Major in his formandis Græcorum est facilitas, quod jam observavit Livius XXVII. 11.

v. 782. ——— quo justa Britanni — Numinis afflatu] Vocabat Carolum Secundum in auxilium, qui causam pupilli Auriaci ageret apud Ludovicum. Est igitur Carolus, numen Britannum, pater Aeneas, Fredericus Henricus, Hector avunculus, Carolus. Idem in Moment. p. 54. *indefessi monumenta volatus — Hinc pater Aeneas, hinc patruus abstulit Hector.* Ex Virgil. III. Aen. 342. *Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles — Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector.*

v. 820. Ereptis tandem turbæ pervectus in Arcem
Quadrijugis, Procerum alloquiis ingentibus aurem
Præbeo.]

Quelque soin que la milice prenne d'empecher le peuple d'aborder ce carosse, il lui est impossible. Chambr. Hic *alloquia ingentia* retulit. In his carmen Latinum, nomine Academiæ ab uno Professorum recitatum, multas Hugenii laudes continens. Ad hoc ille prudenter respondit: *Vir Doctissime, quæ de Principe nostro tam facunde pronuntiasti, nemo neget veritati apprime esse consentanea: quæ de me addere voluisti, ipse meæ mihi tenuitatis conscius, plane non agnosco.* — Digna memoratu verba sunt, quibus utebantur Monachi Capucini: *Quoique par un ressort*

sort de la Providence, qui nous est jusques à présent caché, toutes les personnes de Principauté ne soient pas unies en matière de la Religion, elles n'auront pourtant qu'un coeur pour s'entr'aymer mutuellement, et pour continuer leurs sinceres et fidelles obéissances à leur Prince Souverain et legitime, et pour recognoistre les soins, les travaux, les peines et fatigues que vous avez prises pour les remettre dans leur première liberté.

v. 847. Ut vetus intenſo tremeret clamore theatrum.] *La place du cirque est fort favorable à ces sortes d'actions, à cause des Echos qui se forment contre la grande Muraille, qui porte le bruit à quatre lieuës d'Orange.* Chambrun p. 35. De theatro aliisque Romanæ antiquitatis monumentis v. Jodoci Sinceri Iter p. 151 ſq.

v. 850. Ludere tum vero Naturæ et in hoc placuiſſe
Articulo, viſum est præferre quod ominis inſtar.] Veteres illi Romani, Mario æquales, ſine dubio idem omen accepiſſent. Homines Christianos accepiſſe mirum est. Et tamen ita evenit. Corona illa in coelo apparuit VI. Maji a. 1665, et Gulielmus tertius ad regnum Britanniæ pervenit a. 1689. Chambrunus l. l. p. 149. a. 1666. hæc ſcripſit: *Sans doubte Dieu a voulu monstrer que cette clemence luy estoit agreable, et qu'il courronnoit ce Throsne, pour apprendre aux subjects de ce Prince, qu'il luy reserve quelque grand Empire.* Hugenius rem celebravit Epigrammate, quod editum est a Nuntio Artium et Literarum a. 1816. T. II. p. 287.

Dum ſtat Arauſiacæ confirmatura coronæ,
Antiquam populi læta corona fidem;
Haud dubio placuit quod coelo, utrique coronæ
Tertia de coelo miſſa coronat opus.

Chambrun. p. 149. idem dedit, niſi quod verſu tertio legatur *Non dubie coelo placuit.* Crochantius Hugenii laudandi occaſionem captavit ex oſtento iſto, apud Chambrunum.

Læta in Arausiaco dantem spectacula circo
Exoriens Phoebus viderat Hugenium.
Cum subito e coeli radiis contexta corona
Hugenii crines cingere visa fuit:
Non tibi Musarum cultor, nova munera Phoebus
Donat, et insolito fulget honore caput.
Scilicet ipse tuos ornaverat ante capillos;
Castalia lauro conspiciendus eras:
Sed dum te innumeræ cernit dare jura coronæ,
Et populum domino conciliare suo,
Dum videt ingentes tibi quos largimur honores,
Vilis Parnassi laurea visa Deo est.
Atque ut te digno donaret honore, Coronam
Hanc tibi de radiis texuit ipse suis.

Quod dixi, Romanos hoc omen non fuisse neglecturos, satis ostendunt loca Suetonii et Velleji Paterculi. Sueton. August. cap. 95. *Post necem Cæsaris, reverso ab Apollonia et ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit.* Paterculus II. 59. *Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: et cum intraret urbem, solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter, rotundatusque, in in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.*

v. 858. Artificum in flammis Gulielmus — Amalia fulsit.] *Lorsque Mr. Huygens commenca de paroistre, on entendoit un nombre infini de voix confuses — Vive le Prince: jusqu'à ce que l'Ingenieur, après avoir présenté la mesche à M. de Zulichem, mit le feu à son machine. —* Chambr. *Altera ignis artificiosa machina vix erat incensa, quum legebatur in radiis flammæ — Vive Nassau — Vive Amelie.*

v. 862. ——— Romana Nemausus.] *Nismes.* Urbs antiquissima, Romanorum colonia, ubi amphitheatrum et plura antiquæ magnitudinis monumenta supersunt. v. Sinceri Itin. p. 123. sq. Becman. Hist. Orb. p. 173. Burm. ad Lotich. p. 146. ad Anthol. Lat.

Lat. T. II. et Daugier. Poëm. p. 54. Sed hæc et similia satis illustrari possunt etiam ex recentioribus hominum itineribus, in quibus A. van der Willigen se majorem in modum commendat.

v. 866. ——— parva Salone — Nostradamo sed magna tuo.] Explicantur his Jod. Sinceri p. 144. *Salon des Craux, oppidum elegans cum castello. In templo S. Francisci epitaphium visitur Nostradami, summi proxime elapso sæculo, Mathematici, quod tale: Ossa Michaëlis Nostradami, unius omnium mortalium judicio digni, cujus pene divino calamo totius orbis ex astrorum influxu futuri eventus conscriberentur. Vix. an.* [1] *62. M. 6. D. 17. obiit a. salutis 1567. Quietem posteri ne invideant. Anna Pontia Gemelia, Salonia, conjugi opt. V. F.*

v. 874. ——— Papalis Avennio.] Legatus eo tempore Avenionem et finitima illi urbi oppida, quæ in fide Ecclesiæ Romanæ erant, regebat. A. Florebellus in vita J. Sadoleti p. 850. Conf. Sinceri Itin. p. 146. sq. — Quo melius sequentes Hugenii versus intelligantur, faciunt verba Chambruni p. 157. *Il commenca ce voyage par Avignon, ou il fut parfaitement bien receu par le Vice-Legat, qui luiy fit beaucoup de civilitez extraordinaires, en luiy donnant par tout le pas en son Palais, et en luiy rendant aussy tôt la visite qu'il en avoit receue.*

v. 881. Quamque specu plena spectaram, protinus alti
Fluminis auctorem, sicca sub rupe viderem
Absorptum.] Hugenius iterum adiit Vallem clausam (Vaucluse), *pour y voir les accroissements et les decroissements de cette celebre Fontaine; car on ne peut pas bien juger de la grandeur de cest Abysme, si on ne le voit en trois diverses periodes, à sçavoir, quand la fontaine est basse, et qu'on la voit reformée dans cet antre horrible; quand elle est mediocre et qu'elle remplit plus que la moitié de l'antre, et quand elle est enflée et se precipite par ces affreux rochers.* — Fecit Hugenius hoc iter comitante Chambruno, qui hos versus Hollandi servavit p. 153—154.

Aonii colles et tu Permesſidos undæ
Fabula, tu bifidi montis inane ſacrum.
Neſcio vos, et ſcisſe nego: non hauſimus illic,
Quam vates potam reddere fertur aquam,
Hac latices de rupe ſimul geniumque poëtæ
Traximus, hæc venam prodiga vena dedit.
Scilicet hac olim plenus totum imbuit orbem,
Qui meus hac latuit verus Apollo ſpecu.
Heic noſtras habitasſe Deas, hoc numine Pindo,
Sola ſacri cantus neſcia turba neget.
Neſcia Petrarchæ, divinæ neſcia Lauræ,
Neſcia, quam nemo neſcit, amicitiæ.
Heic Helicon, heic Cirrha mea est. Hic vatibus esſe
Fons dedit, hic vati cuilibet esſe dabit.
Ite per hæc tanti veſtigia vatis amantes,
Ite quibus docti ridet amoris amor,
Ite quibus caſti: cecinit quæ virgo relecta
Poſcat, et a caſta prole ſevera parens.
Candor ubique, fides, ardor coelestis ubique,
Quoque Deos fas ſit, fas ſit amare Deas.
Nec leget hæc quisquam, qui non velit esſe Petrarcha,
Nec quæ Petrarcham non velit esſe ſuum.
O genii, o puri manes, o omnibus umbris,
Utraque ſub terris ſanctior umbra mihi;
Vos ego, ſi fas ſit, vel humi proſtratus adorem,
Vobis liba libens intemerata feram.
O latices vitrei, o ſtipatæ floribus herbæ,
Quos roſeo presſit candida Laura pede,
O latebræ o ſaxa, o ludentis nobilis horror
Naturæ, o vaſti fontis amoene rigor,
O qui inſpiraſtis veſtro monumenta poëtæ
Non niſi cum vobis interitura, loci;
Vos adii præſens vos, veſtri plenus abibo
Mente procul, quo me ſors mea cunque vehet.
Omnibus umbra locis Lauræ comes, umbra Petrarchæ,
Omnibus Hugenio, dum ſuperabit, erunt.

v. 903.

v. 903. ——— vitiosa Grenoblam — dictio designat.] Corruptam quippe ex *Gratianopoli.* Pauca de urbe reperias in Scaligeranis p. 130.

v. 921. ——— quantum non milvus ab ortu
Solis ad occasum, prædæ venator, oberret.] Pers. Sat. IV. 26. *Dives arat Curibus, quantum non Milvus oberret.* Ubi Vet. Schol. vetus notat proverbium *Quantum milvi volant.* Homer. Odyss. III. 331.

v. 974. ——— ingentis Erasmi — Reliquias.] Hugenius, ut plurimi cives nostri, Erasmum sancto fere honore venerabatur. Facile igitur cogitatu est, qua eum lætitia affecerit Lomenius, Briennæ comes, muneri data Erasmi effigie, picta manu Holbenii. Hoc munus Comes ille elegantissimus commendavit addita hac dedicatione Jambis puris:

Ad Constantinum Hugenium Zulichemium
Effigiei Erasmi dedicatio.

Erasmus ille pictus Holbeni manu,
Amor, meus, tuusque, cui tot oscula
Dedisse clam fateris, et mihi, licet
Amicus, invidere: totus, Hugeni,
Nec invidente fit tuus Lomenio.
Diu vagatus ille Belgico solo,
Et Italo vagatus atque Gallico,
Ubique vixit hospes, et sua fuit
Ubique carus Holbenique gratia.
At ecce post tot exsili vices, gravi
Redemtus ære, venit in meas manus,
Et ire fessus ac redire tot vias,
Frui quiete poscit: at frui negat
Quiete velle, ni faventis Hugeni
Sinu receptus. Heic et elegantiæ,
Et eruditionis omnis arbiter,
Meris fruetur eruditionibus,

Merasque deget inter elegantias.
Vale ergo, quando noster esse jam negas,
Erasme, te Batavus obtinens tuus
Solo reducat exsulem Batavico.
Satis viarum et inquietis exsili:
Perenne nunc quiesce, amoris et mei
Perenne pignus esto Zulichemio.
Lomenius Briennæ Comes.
Lut. Paris. VIII. *kal. Nov.* CIↃIↃCLII.

Comiti ita respondit Hugenius.

Ad Ill. Comitem De Brienne.
χάρις αὐτοσχέδιος.

Erasmus ille, quo nihil Batavia
Nec orbis ipse vidit eruditius,
Politius, disertius, facetius:
Erasmus ille patriæ meæ decus,
Decus perenne Erasmus ille, Lomeni
Amice, te volente factus est meus?
Dei Deæque, quanta me repente sors
Opinione major atque spe meâ
Beatum inaurat et Deis facit parem!
Erasme noster, ergo te frui datur,
Et illud oris aurei entheum caput,
Et illa dia lumina intuerier,
Quibus quod omne sæclum et eruditio
Amat, colit coletque, sæculo dabas,
Et illa se tabella qua tui Holbeni
Stupenda dextra doctius nihil dedit,
Negata regibus tabella, non mihi,
Meo sinu recondier lubens videt?
O inclytus Lomeniæ manus favor!
O immerentis Hugeni beatitas!
O æstimanda, dum superstes heic erit,
Et usque ubique publicanda gratia!

Jam-

Jambe pure, pes severe, dura lex
Et abroganda, si liceret eloqui
Quod eloqui vetamur hactenus tuis
Miserrimi scholasticis ineptiis,
Ut ille cordis intimus calor mei,
Ut ille candor emicaret, ut meo
Decora verba diceret Lomenio!
Sed ecce, mutus opprimor, tyrannice
Coactus hæsitat stylus, nec est satis
Licentiæ, ut vel hoc stylo redhostiam,
Stylo senile et usque quaque languido.
Jambe pure, Jambe dure, Jambe pes
Pedum, pedestrium pedum improbissime,
Renunciasse scito me diu tibi,
Renunciare nunc item penissime.
Abeste compedes, abeste vincula
Quibus Batava gratitudo Galliæ
Nequit probari, et ista verba vix datur
Sonare. Mi Brienne, reddo gratiam,
Erasmus ut futurus est comes meus,
Perennis esto, tu precor, meus comes.
Constanter.

Lutet. IV. *kal. Nov.* CIↃIↃCLXII.

Holbenius Erasmi effigiem non semel pinxit. Jacob. Tollius in Epist. Itiner. I. p. 9. vidit Guelferbytæ in Pinacotheca Principis: *Inter tabulas nobilissimorum artificum præstantissimas, maxime me nostratis illa movit Erasmi effigies, ab Holbenio depicti, gaudebamque tacite, eundem studiis atque armis honorem haberi. Non enim Holbenianæ Erasmi effigies minus sunt celebres, atque illæ Apelleæ, quæ Alexandrum M. referebant.*

v. 1056. Quanta vi puerum Auriacum sq.] Sunt forte hæc vulnera, quæ melius non tanguntur. Acerbius tamen videri possit Hugenii judicium, nisi sanguinem esset deprecatus, vs. 1058. „ Optarem sine sanguine coeptum. — Ac libet hoc loco narrare ipsi Gulielmo Quarto atrox facinus displicuisse. Hic, procu-

curator Frisiæ et Groninganæ regionis, solebat sæpe venire in concilium Ordinum Groninganorum, et, coetu dimisso, cum binis, qui tunc erant, scribis, multa de rebus patriæ familiariter disputare. Ac velim, dicebat aliquando, ne in annalibus nostris Wittiorum nex nobis esset legenda. Tunc unus scribarum, qui aderat, libere ut mos est Groninganus: „ Utinam, inquit, princeps, nec illorum nec Oldenbarneveldii! Nihil ad hæc quidem Gulielmus, sed vultu significare videbatur, dicti libertatem minus sibi placere. Hoc mihi narravit vir fidei et historiæ Hollandæ amantissimus, qui avum suum, unum scribarum, sæpe narrantem audivit.

v. 1138. ——— totidemque Batavis — Ter Batavos.] Reliquit libros Epigrammatum Latinorum novem, ter totidem carminum Belgicorum, facientes libros viginti septem.

v. 1187. Museo grave nec domino sub murice notum.] Non legunt hujusmodi homines quæ sub murice, purpura, splendida ligatura teguntur. Non similis illi erat Hugenius, quem ridet Seneca Tranquill. an. c. 9. qui *dominus innumerabilium librorum, in tota vita ne indicem quidem perlegere possit.*

v. 1240. Non potui non esse meus.] Cicero I. Tuscul. Quaest. cap. 31. *Nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est, a corpore, cum a re familiari, quæ est ministra et famula corporis, cum a republica, cum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus?* — Hæc Cicero: cui utinam tam longa et jucunda vita contigisset, quam contigit Hugenio, quo et hæc et alia ipso usu probare potuisset!

Apud Viduam Adr. Loosjes P. F. Harlemi edita ſunt:

P. H. Peerlkamp *Epiſtolae aliquot Excellentium Batavorum*, III. Faſcic. 8° maj. . . . . *f* 1-10-

——— charta ſcript. 2- 8-

——— *Vitae aliquot Excellentium Batavorum*, 8 maj. :-15-

——— charta ſcript. 1- 4-

——— Xenophon Epheſius *de Anthia et Habrocome*, Libri V. Gr. et Lat. 4°. . . . . 12- :-

——— charta magn. . . . . 16- :-

——— *Oratio de Xenophonte Epheſio. Accedit in eundem Obſervationum Criticarum Specimen*, 8° maj. :-12-

H. Grotii, *Parallelon Rerumpublicarum Athen. Rom. et Batav.* ed. Meermannio, 4 Tomi 8° maj. 16- 4-

——— *Epiſtolae ineditae ex Muſaeo Meermanniano*, 8° maj. 2- 8-

T. Woordhouder, *Monumenta Fugae Grotianae*, 8° maj. :-15-

H. Waardenburg, *Opuscula Oratoria, Poëtica, Critica*, 8° maj. 2-18-

HET LEVEN

VAN

CONSTANTIJN HUIGENS

IN GEMEENZAMEN DICHTTRANT, VOOR ZIJNE KINDEREN, DOOR HEM ZELVEN BESCHREVEN,

IN TWEE BOEKEN.

UIT HET LATIJN IN DICHTMAAT OVERGEBRAGT

DOOR

A. LOOSJES P. Z.

TE HAARLEM,
BIJ DE WED. A. LOOSJES P.Z.
MDCCCXXI.

B E R I G T.

Zoowel door Buitenlanders aangezocht, om het Latijn *met de ophelderingen van den Heere* PEERLKAMP *afzonderlijk te geven, als door verſcheidene Landgenooten uitgenoodigd, om de* Nederduitſche dichtmatige Vertaling *van* HUIGENS leven, *geſcheiden van het oorſpronkelijke, verkrijgbaar te ſtellen; heeft men ook aan het verlangen der laatſte willen beantwoorden door deze uitgaaf, zijnde bij dezelve zijn Portrait te midden van die zijner Kinderen gevoegd, gelijk mede eene dichtmatige vertaling der Opdragt aan Z. M.*

 De

De Nederduitsche Aanteekeningen, door den Uitgever beloofd, waren onderhanden, toen hij onverwacht der Nederlandsche Letterkunde ontviel, die zich nog met vele rijpe vruchten zijner onafmatbare vlijt en uitgebreide kennis vleide.

OPDRAGT

AAN DEN

KONING.

Vorst WILLEM! wordt de zorg der hooge Staatsbelangen
  U door een oogenblik van ledigheid verzoet;
Wil met een' blik van gunst, U zoo gewoon, ontvangen
  De gaaf van een opregt en ongeveinsd gemoed.
Dat 's grijzen HUIGENS Muze u in deez' blaân ontvouwe,
  Hoe aan het Nasſausch Huis een deel zijns werks behoort;
Gij vindt er COLIGNY, dat beeld van huwlijks trouwe,
  Tot tweewerf weduw door d' afgrijsſelijkſten moord;

Gij vindt er MAURITS, die den oorlogsblikſem zwaaide,
Den Kastiljaan tot ſchrik, tot wraak van 's Vaders dood,
En HENDRIK, die 's volks hart door zachte goedheid paaide,
Als 't hem, na zwaar beleg, der ſteden poort ontſloot.
Twee WILL'MEN zult gij ook, in deugden onderſcheiden,
Ontmoeten, welker laatſte eens ſteeg op Englands troon:
Zie Hollands oude trouw ſteeds HUIGENS 't ſpoor bereiden
Ter gunſte, hem door drie dier Vorſten aangeboôn.
Bij 't zoet genot van vrede en bij de hofvermaken
Beſprengde ZUILICHEM den ernst met Attisch zout,
Doch deed Kastiljes wrok de krijgstrompetten kraken,
Hij werd, in de oorlogstent aan 's Vorſten zij' beſchouwd.
Hoe klaagde 't Haagſche Bosch, hoe Hofwijks wandeldreven,
Dat hij zoover, zoolang hun ſchaaûwrijk loof ontvlood,
Naar welken vreemden oord zijn pligt hem heen deed ſtreven;
Onthaald aan Englands hof, gevleid in Frankrijks ſchoot,
't Zij in Itaalje, of waar ook HUIGENS mogt vertoeven,
Want hoevele oorden van Euroop' heeft hij bezocht:
Dit afzijn midlerwijl kon gade en kroost bedroeven,
Door liefde en teederheid, op 't naauwst, aan hem verknocht:
't Meest bleef hij 't Vaderland en 't Vorstlijk Stamhuis wijden,
Veel zijnen vrienden, min zijn huis, zichzelven niets:
Vind zulke HUIGENSEN, o Vorst! aan alle zijden,
In krijg en raad, in 't uur der vreugde en des verdriets,
Zoo zal, bij Uw behoud, 's Lands heilzon helder blinken,
En niet, dan met den val van Naſſau's Stamhuis, zinken!

Naar het Latijn.

HUGENII

VITA PROPRIA

ed.

PEERLKAMP.

LOOSJES

HET LEVEN

VAN

HUIGENS.

HUGENII

VITA PROPRIA

ed. PEERLKAMP,

belg. LOOSJES.

VOOR DEN BINDER.

Bij het inbinden van het geheele Werk valt de Latijnsche titel voor de *Annotatio* weg, en moeten de Portraiten tegen over den gesneden titel geplaatst worden. Ook moet de Nederduitsche titel en het berigt dan verworpen worden, terwijl de Nederd. opdragt onmiddellijk achter de Latijnsche opdragt moet geplaatst worden.

